QUA VIA ET RATIONE KAROLUS M. IMPERIUM ROMANUM IN OCCIDENTE RESTITUERIT.

ACCEDIT

EXCURSUS DE FONTIBUS PRIMARIIS QUI DE KAROLO M. A LEONE III CORONATO EXTANT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVI. M. MARTII A. MDCCCLIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

KAROLUS EDUARDUS JACOBS

CREFELDENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

J. DAN. NOLTENIUS, STUD. JUR. BREMANUS.
EWALDUS HEITMEYER, STUD. THEOL. ET PHIL. VESALIENSIS.
HUGO HAEDICKE, DR. PHIL. WERNIGERODENSIS.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

»Fulgentius quoque in libro de veritate prae-
»destinationis et gratiae ita scribit: *Quantum*
»*pertinet,* inquit, *ad hujus temporis vitam,*
»*in ecclesia nemo pontifice potior et in*
»*saeclo christiano nemo imperatore celsior*
»*invenitur.*«

Hludovici et Hlotarii capitularia
Pertzius ss. Legg. I, p. 333.

VIRO ILLUSTRISSIMO

LEOPOLDO RANKE

HANC

JUVENILIS AETATIS OPELLAM

GRATI ANIMI DOCUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

Quum nuper in certamine literario ab universitate Berolinensi instituto majorem dissertationem de imperio Karolorum cum felici successu confecissem, eandem paullo post retractatam novaque de fontibus restituti imperii quaestione auctam ad summos in philosophia honores consequendos doctissimo philosophorum ordini proposui. Cujus opusculi specimen selegi et typis excudendum curavi. Majorem fortasse de hac re disquisitionem aliquo modo postea publici juris faciam.

QUA VIA ET RATIONE KAROLUS MAGNUS IMPERIUM ROMANUM IN OCCIDENTE RESTITUERIT.

Illis saeculis quae inde ab interitu occidentalis imperii Romani usque ad Karolorum aevum defluxerunt, pontificum Romanorum in Italia auctoritas inter aspera bellorum temporumque vicissitudines, quum caeterae potestates post certa temporum spatia corruerent vel debilitarentur, sola magis magisque aucta erat[1]). Hanc igitur ob causam imperatores Constantinopolitani, quum quae eorum in Italia regni reliquiae erant per exarcham Ravennatem administrarent, arctiorem quandam cum pontifice Romano necessitatem sustinebant et hoc modo etiam in occidente univer-

---

[1]) Id quomodo praecipue factum sit, in singulari de hac re commentatione Wilmansius docet (»Rom vom V. bis zum VIII. Jahrhundert«) quam in Schmidtianis diariis historicis (Zeitschrift für Geschichte) tomo II. (Berolini 1844. 8vo) p. 137—152 invenies.

salem quandam super christianos auctoritatem exercebant. Itaque imperatores vel ipsi vel per pontificem Romanum, quasi summum imperii Romani sacerdotem, Francorum quoque regibus consulatus vel patriciatus dignitatem obtulerunt, ut maxime de Chlodoveo novimus[1]). Sed Francorum reges hujusmodi Constantinopolitanorum imperatorum super se auctoritatem vel parvam vel nullam agnoverunt, et jam Theudebertus rex aegre ferebat, quod imperator Byzantinus »Francicum« se nominaret, quum jam inde a conversione Chlodovei[2]), arctiori episcoporum clerique cum regibus orthodoxis necessitate et ipsius regni potentia terrarumque magnitudine, Francorum regum auctoritas ea facta esset, ut externam agnoscere vellent nullam.

Quum autem bello de imaginibus aut servandis aut destruendis gesto maximae inter imperatores et pontifices Romanos dissensiones ortae essent, imperatorum in Italia auctoritas in dies magis minueretur, quum pontifices et ecclesia Romana a Longobardorum regibus pressa, a Graeco imperatore vel consulto relinquerentur vel, quum ipsi intestinis externisque bellis nimis occupati essent, auxilium impetrare non possent, pontifices Romani, tum necessitate coacti, tum Graecorum invidia et erga potentes orthodoxosque Francorum reges studio ducti, his magis magisque inclinabant et propendebant. Quod deinde a Francorum regibus petiverant, impetraverunt et ex quo tempore fortis et strenua Karolorum stirps, quasi ex sententia pontificis hereditarium apud Francos regnum accepit, ex eo tempore —

1) Gregorius Turonensis II, c. 38.

2) Anastasii II ep. ap. Mansium (Concill. ampl. coll.) 5. VIII, p. 193 et Aviti ep. ad. Chlod. Chlod. (ep. 41 ed. Sirmondius opp. t. II).

id quod futuri Romani in occidente imperii summa habenda est — propiorem mox inierunt societatem; alter ecclesiastica auctoritate, alter virtute et armis alterum adjuvabat. Jam Pipinum futuram restitutionem occidentalis imperii in animo habuisse, ex eo fortasse suspicari licet, quod eas terras, quas ab Longobardorum regno expugnavit et ad pontificem et sedem Petri contulit, non ad imperium orientale sed ad Romanam rempublicam pertinere voluit[1]).

Hadrianus papa Karolo M. totum se dabat: »post Deum« ait[2]) »Romanorum in regem et regnum Francorum est fiducia«; potentiam ejus ita praedicat: »omnes gentes, quae super faciem universae terrae consistunt compertum habent tuum certamen, quod ad defensionem sanctae Dei ecclesiae adhibuisti et magnum te ac praecipuum regem laudabiliter asserunt«[3]). Defensio sanctae sedis Petri et ecclesiae Dei per vicarium Petri Francorum regi commendabatur, idemque[4]) pro subigendis per Karolum cunctis barbaris gentibus toto animo vota faciebat[5]).

---

1) V. ap. Boehmerum Regesta Karol. s. a. 754.

2) Epist. Hadriani I ad Kar. M. (787). Cod. Karol. XC ap. Bouquetum II. t. V, p. 571.

3) Hadr. I epist. ad K. M. LIX ap. Bouq. Cod. Karol. V, p. 548.

4) »divina te clementia per interventum sui principis apostolorum defensorem atque opitulatorem sanctae suae ecclesiae constituit.« Ep. ejusd. ad K. M. »vestra praecelsa regalis excellentia nitatur, ut denique per vestram regalem auctoritatem imperturbati pariter maneamus.« (ap. Bouquetum C. Kar. V, p. 571) id. ad eund.: »Et semper desideramus et cupimus quae bona sunt atque prospera de vestro a Deo protecto regno et omnium Francorum salutaria addiscere, quia nos post Deum in aliquo fiduciam non habemus nisi in vestro fortissimo brachio.«

5) »Imploramus Dei clementiam ut victoriam vobis de coelo mini-

Constat igitur et ex ipsis paparum verbis elucet, eos non jam ex orientalibus imperatoribus, sed a fortissimis Francorum regibus, quorum gloriam quam maximam esse voluerint, auxilium et defensionem sanctae Dei ecclesiae exspectare. Neque tantum pontifices Francorum regibus se committebant, sed hi ipsi, maxime vero Karolus M. acri erga sanctum Petrum ejusque vicarium studio ducebantur, tantaque inter Karolum et Hadrianum necessitas intercessit, ut ab utroque nulla majora susciperentur, antequam consilium suum cum altero communicasset.

Haec erga pontifices Romanos studia, quibus Karolus non minima ex parte auctoritatem suam debebat, eadem a primis regni ejus initiis usque ad finem vitae permanserunt. Hac ipsa re magnum illum regem in una sententia, uno consilio — nondum ipsam restaurationem occidentalis imperii eum primis regiminis annis animo habuisse contendam — tamen in una sententia, quae si minus imperium ipsum, tamen rem non valde dissimilem et ex qua imperii restitutio evasura esset spectaret, firmissime perseverasse et constitisse apparet.

Jam enim primo quod quidem exstat capitulari Karolus »gratia Dei regem Francorum regnique rectorem et devotum sanctae ecclesiae defensorem et adjutorem in omnibus apostolicae sedis«[1]) se profitetur idque per totam vitam et gubernationem non verbis tantum, sed re factisque servavit, neque facile iterum imperator exstitit, qui aeque per tam longam vitam pace pontificum omnes fere res suas

strans cunctas barbaras nationes vestris subjiciat vestigiis« cf. cp. Pauli papae ad Pipinum (Cod. Karol. XV ap. Bouquetum t. V, p. 504—506).

[1]) V. ap. Pertzium, monn. Germ. legg. I, p. 33. Capit. anni 769 initio.

egisse diceretur cujusque consilia fere omnia tam voluntarie secuti illi essent. Itaque non solum quae ad exteriores in ecclesia ritus vel ad hominum mores, sed quae ad ipsam christianam doctrinam spectabant, tempore Karoli sub communi quadam regis et pontificis Romani auctoritate constituebantur, Karolique nomine haec instituta admonitionibus generalibus, capitulariis, legibus per amplum ejus regnum divulgabantur.

Sed licet hanc inter regalem potentiam et pontificum auctoritatem arctiorem necessitatem jam ab initiis regni Karoli intercessisse videamus, tamen etiam externa quaedam obstacula, ne hoc vinculum post Hadriani vel Karoli mortem iterum dissolvi posset, summovenda videbantur. Restabat enim usque ad id tempus Graeci imperatoris quaedam, licet perparva, in urbe Roma auctoritas. Synodus, epistolae publicaque pontificum documenta imperatorum Graecorum nomine edebantur[1]) sustinebatque illam auctoritatem Longobardorum in Italia regnum. Hi enim, quum quidem imperatorem ipsum aggrederentur ejusque in Italia provincias infestarent, tamen etiam saepius versa vice, cum Graecis conjuncti Romanos et pontificem invasionibus et devastationibus premebant atque urgebant, Francorum reges, quum ipsorum regnum inter Francicum orbem et Romam interjaceret, non paullo impediebant.

His igitur devictis, quum Karolus ipse rex Italiae sive Longobardorum factus esset, nihil jam obstare videbatur, quominus arctissimam cum Hadriano papa societatem iniret. Anno autem 774, quum Papia urbs a Francis obside-

[1]) V. Jaffaeum regg. pontt. p. 263.

retur »orandi gratia« ut dicit Einardus[1]), Romam ad Hadrianum papam se contulit, Pipini donationem iterum sanxit et auxit[2]) et cum Hadriano arctissime se junxit et inde ab hoc tempore, quum usque ad annum 772[3]) in diplomatibus imperatorem Constantinopolitanum »piissimum dominum suum a Deo coronatum« agnovisset, Francorum regem imperatoris vice habebat, quum tamen Graeci ipsi aliquem urbis Romae et pontificis cum orientali imperio nexum ad ipsam Karoli per Leonem III coronationem usque perdurasse dicant[4]).

Neque Itali et Romani ipsi aliter quam pontifices sentiebant, sed jamdiu, maxime vero nuperrimo illo bello de imaginibus gesto, animo desciverant[5]). Graecorumque

---

[1]) Ein. ann. s. a. 774.

[2]) v. Anastas. biblioth. Vitae pontiff. ap. Muratorium SS. R. R. Itall. 7. III, p. 186.

[3]) cf. Muratorii Annales Italiae tom. IV, p. 353 (in editione supra citata) »subscriptum est ab Hadriano: Dat. X. Kal. Maii imperantibus Domino nostro piissimo Augusto Constantino a Deo coronato magno imperatore anno LIII et proconsulatum ejus XXXIII sed et Leone Magno imperatore ejus filio anno XXI indictione X.« Jaffaeus autem (regg. pontt. p. 203) haec adnotat: »Novam temporis tabularum indicandi rationem Hadrianus procedente pontificatu ascivit. More enim tralaticio quum etiam litteris d. 22 Apr. 772 exaratis Graecorum imperatorum annos (id quod postea accidit nunquam) subjunxisset, mutato ritu annotare jam die 1 Dec. 781 inceperat, tum quibus pontificatus sui annis, tum quorum per manus et scriptae et datae chartae essent«; cett.

[4]) Theophanes ed. Bonnens. (e recens. Classenii) I, p. 734: »*γενομένης τῆς Ῥώμης ἀπ' ἐκείνου τοῦ καιροῦ ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Φράγγων.*« cf. etiam Const. Man. (ed. Bonn. Bekkeri p. 193—194. Hic locus in *excursu* ad hanc quaestionem integer exhibetur (v. 4520).

[5]) Anast. biblioth. v. Gregorii II, p. 156 ap. Murat II. »Omnes Pen-

auctoritas arctioribus magis magisque limitibus circumscripta erat. Quod vero Cedrenus jam Gregorium ab Leone I imperatore ob ejus impietatem defecisse et pacto cum Francis facto tributa denegasse dicit[1]), tributa inhibuisse, quod etiam Zonaras testatur, non negaverim, illum vero jam omnino a fidelitate erga imperatorem defecisse ita non verum est, ut potius eum ne desisterent a fide Romani imperii Italos proprium sibi imperatorem creare cupientes commonuisse constet[2]).

Graeci autem, qui magis Italorum Romanorumque defectionem, quam Gregorii II consilia et voluntatem spectabant, Gregorio, ut qui plurimum apud Italienses posset, illam defectionem tribuebant et in illo foedere, quod postea cum Francorum rege fecit, apertam eam et absolutam esse factam viderunt. Si annalibus Metensibus in hac re fides habenda est, postea quidem Gregorius cum Romanis facere, Romaeque cum oriente nexum publicum solvere instituit[3]), sed maturior mors Karoli (ejus, qui postea Martellus dictus est) num haec res revera ad effectum perducta sit, in dubio relinquit. Est enim ibi: »Epistolam

---

tapolenses atque Venetiarum exercitus contra imperatoris jussiones restiterunt. v. Cedren I, p. 800 ed. Bonn. (*ὁ δὲ βασιλεὺς* [Leo III Isaurus] *ἐμαίνετο κατὰ τοῦ πάπα καὶ τῆς ἀποστασέως Ῥώμης καὶ Ἰταλίας, καὶ ἐξοπλίσας στόλον μέγαν ἀπέστειλε κατ᾽ αὐτῶν κτλ.*

[1]) v. in ed. Venet. I, 1456. »Italiae tandem ac Romae tributa deferenda prohibuit, icto cum Francis foedere.«

[2]) »Et nisi eos prohibuisset pontifex (Gregorius II) imperatorem super se constituere fuissent aggressi.« P. Diaconus de episcc. Metenss. LVI, 49. Anast. bibliothecar. II. p. 156. »Compescuit (Greg. II) tale (creandi novum imp.) consilium.«

[3]) V. ap. Pertzium Monn. SS. I, p. 326.

quoque decreto Romanorum principum sibi praedictus praesul Gregorius miserat, quod sese populus Romanus, relicta imperatoris dominatione ad suam defensionem et invictam clementiam convertere voluisset.« Occasionem quidem jam tum intestinis illis dissensionibus esse datam minime negemus[1]).

Sed jam ad Karolum M. et Hadrianum papam redeamus. Quum igitur Karolus anno 774 Romae esset, patriciatus dignitatem suscepit, sed eam non ut alii e Francorum regibus, per imperatorem Byzantinum sed per Hadrianum papam nulla, ut mihi quidem videtur, Graeci imperatoris habita ratione[2]). Haec autem dignitas, cujus indoles et natura omnino ecclesiastica est, magna jam imperatoriae pars erat, idque maxime ideo, quod Karolus ipse magnam jam potentiam tenebat, qua illam auctoritatem sustinere posset, quod summa etiam cum pontifice concordia fruebatur, Romani »Graecorum dominationis pertaesi« gloriosissimo et piam integramque fidem catholicam colenti ei ex animis favebant.

Non ab re esse videtur, formulam qua patriciatus dari solebat, quaeque ejus naturam optime significat, hoc loco

---

1) Zonaras (ed. Venet. ille enim Zonarae operum tomus qui haec continet ex recensione Pinderi proditurus nondam in lucem editus est). »Hac de causa (propter εἰκονοκλασίαν) Gregorius vectigalia quae ad id usque tempus imperio pendebantur inhibuit, icto cum Francis foedere, *unde illi occupandi Romam occasionem habuerunt* (t. II, p. 104 cf. 120).« Sub Constantino etiam et Irene papa Leo eos (Francos) etiam Romam admisit.

2) cf. Muratorii ann. Italiae t. IV, s. h. a. et ap. Bouquetum ll. t. V. Cod. Karol. Ep. LXII, p. 560. Anastas. ll. ap. Mur. SS. RR. Itall. III, p. 185.

inserere. Est enim, qualem Pagius in annalibus ad annum 740 exhibet, his verbis circumscripta: »Hunc honorem tibi concedimus, ut ecclesiis Dei et pauperibus legem facias, et inde apud altissimum judicem rationem reddas.« Ab anno 774 quidem Karolus non semper in diplomatibus et capitulis hoc titulo utitur, regis vero in Italia auctoritas et cum pontifice amicitia in dies crescebat. Hadrianus semper cum Karolo stabat, petiitque ab eo, ut a periculo quod ipsi ab Adalgiso Desiderii filio immineret, vindicaret[1]); omnes gentes et terras ut sibi substerneret optavit[2]), letanias ad gratias agendas Deo pro rebus a Karolo prospere gestis instituit[3]).

In epistola Hadriani papae circa annum 780 scripta[4]) »de falsa quadam potestate agitur«, quae Karolum ab amore et fidelitate erga pontificem »segregare« non debeat. Hic locus, licet — ut multa in literis mutuo inter Karolum datis et acceptis — subobscurus, tamen de pacto quodam cum Graecorum imperatore facto: de Rothrudis, Karoli filiae, cum Constantino imperatore sponsione esse videtur. Graeci enim tum quidem apud Hadrianum minime accepti erant: »Deo odibiles«, »perversos«, »nefandissimos« appellat[5]).

Contra monet, ut in iis »quae super venerabile corpus beati Petri facie ad faciem polliciti sint[6])« stabiles maneant; deinde ex animo optat ut Deus ejus regnum dilatet et amplius in toto terrarum orbe exaltet, utque laus et victoria ejus in universo mundo divulgetur.

---

1) V. ap. Bouquetum ss. R. R. Francic. tom. V (Cod. Karol.) p. 558.
2) ib. p. 573. — 3) ib. p. 574. Cod. Kar. ep. LXII, p. 560.
4) ll. p. 560; 558. — 5) ll. p. 558. — 6) Cod. Karol. ep. LXIX, p. 561.

Constat Karolum vivo Hadriano papa totum in iis cogitationibus studiisque fuisse, quae quasi cardo imperatoriae dignitatis habenda sunt. Non esse omittendum puto, eum quum Sti. Augustini scripta omnia, tum illum librum cui »de civitate Dei« inscribi solet, summopere adamasse eumque sibi legendum curavisse[1]). In hoc autem tum illam de ecclesia Christi, quasi de una omnium christianorum familia sententiam expressam, tum Romanorum ad imperandum omni terrarum orbi indolem, qua prae caeteris populis insigniti et quodam consilio divino adjuti essent[2]), memoratam invenit; pontifices quoque in epistolis ad regem missis, de orbe quodam omnium christianorum, de ecclesia, quasi de una omnium fidelium matre, praesertim »piissimi et religiosissimi« Karoli, cujus auctoritatem »super pristinos omnes ac fidelissimos orthodoxosque reges ac imperatores« esse dicerent[3]), ejusque regnum divinitus esse praeordinatum — mentionem fecerunt. Veri-

1) V. ep. Einardum v. K. M. cap. 24.

2) V. Sancti Augustini l. I, cap. XXIX, p. 4 de familia Christi ll. IV, c. 25. 29. (de summa urbis Romae vetustate), l. V, cap. 12. (de peculiari Romanorum ad regendam terram indole). Proinde videamus, quos Romanorum mores, et quam ob causam Deus verus ad augendum imperium adjuvare dignatus est, in cujus potestate sunt etiam regna terrena est. — Usus sum editione Strangiana: S. Aurel. Augustini Hipp. ep. de civ. Dei ll. ad opt. exempll. fidem ed. Jos. Strange II tomi 8[vo]. Col. Bonnae. Bruxell. 1850.

3) V. ap. Bouquetum ll. t. V, Cod. Karol. p. 563. cf. ib. Cod. Karol. ep. LXXXV, p. 579. LXXVIII, p. 591. »Certi facti estote, quia quantum caput totius mundi eandem sanctam ecclesiam ejusque rectorem simulque pontificem amplectando diligitis, tantum vos B. Petrus, apostolorum princeps, inconcussos facit triumphare hic et in futuro super omnes regnare reges.« Cod. Karol. LXXVIII, p. 368.

simillimum igitur est, quod Einardus et Hadrianus papa praedicant, Karolum semper id egisse ut »Romam et Romanam ecclesiam, cujus Roma caput erat, defenderet, amplificaret, ornaret[1]).

Videmus igitur et omni Francorum regni occidentisque conditione christianorumque omnium, pontificum Romanorum, Karoli ipsius studiis et desideriis restituendi in occidente imperii Romani viam esse apertam, immo jam non ita multum praeter imperatoris nomen Karolo regi defuisse ad summum illud honoris apud Christianos fastigium. Sed quaerat aliquis num, quum res ita se habeant, certa quaedam vestigia, quae Karolum de ipsa restitutione imperii jam cogitasse doceant, apud illius aevi scriptores reperiri possint.

Sed illi, quum maxime facta externa tantum, eaque saepe jejunius referant, nec commemorent, quae fuerint hominum in agendo intentiones, qui rerum nexus, hujusmodi spem saepissime quidem frustrantur, tamen nonnunquam, occasione data, maxime ex libellis publicis, qui tamen octavo saeculo rarissime, nono, maxime Hincmare Remensi auctore saepius occurrunt, principum ipsarumque res gerentium personarum sensus et sententias rerumque nexus cognoscimus.

Hujusmodi autem opus, et haud scio an octavi saeculi praestantissimum et gravissimum libri qui vocantur Karolini quique Karoli regis nomine in lucem editi sunt, nobis exstant. Saepius enim illis temporibus regum principumque nomine, ab auctoribus cum illis regibus familia-

---

[1]) cf. Einardi V. Kar. M. cap. 27.

ritate quadam junctis, hujusmodi libellos vel epistolas scriptas esse novimus, omisso veri auctoris nomine[1]). Karolum certe ipsum librorum Karolinorum auctorem esse non posse nemo non videbit. In hoc igitur libello ea quae Graecorum synodus Constantinopolitana, anno 787 habita, quamque Graeci ipsi septimam eamque catholicam vel universalem vocabant, de colendis maxime et venerandis imaginibus constituerat acerrime impugnantur et quasi inepta et vitiosa orthodoxaeque fidei christianae contraria omnino esse rejicienda et damnanda censentur[2]).

Si in hoc libello, satis amplo quidem et in quatuor libros digesto, nimio ut videtur ardore et studio, nonnisi perversae et vitiosae Graecorum de rebus ecclesiasticis et divinis notiones castigari idque tantummodo agi tibi videtur, ne ecclesia catholica illis perversis doctrinis contaminetur: quasi novum exemplum reliquis plurimis adjungendum esset, Graecorum et Francorum sive occidentalium et orientalium contraria fuisse studia et de rebus ecclesiasticis et divinis opiniones. Sed quod in hujusmodi per-

1) Velut Hincmari, archiepiscopi Remensis libelli et epistolae pro Karolo Calvo rege ad Nicolaum et Hadrianum II pontifices et ad Hludovicum Germaniae regem missa (v. ap. Sirmondium Hincmari Remensis opera maxime in tomo II[do]).

2) In his maxime libris qui vocantur Karolini, quorum fides sine justa, ut videtur, causa a nonnullis in suspicionem vocata est maxime doleo, fontes ipsos recensendi propter nimiam argumenti ubertatem non esse datam copiam. De eorum fide et genuitate v. ap. Lorentzium »Leben Alcuins« et Gfroererum (hist. ecclesiast. tom. III, p. 623 sqq.) et Walchium (Ketzerhistorie XI). Caeterum Lorentzius et critici ad unum fere omnes idque haud levibus rationibus ducti horum librorum auctorem Alcuinum esse contenderunt.

versarum doctrinarum impugnatione, veritatis ipsius defensione, auctorem minime acquiescere vides, id ipsum est, cur maximi hoc loco momenti esse videatur.

Considerandum primo videtur, esse Karolum, Francorum regem, patricium Romanorum sanctae Dei ecclesiae defensorem, cui divina gratia regnum commissum sit, cujus nomine haec edicantur, Karolum esse, qui suum officium contendat, ut ecclesiam a cujusvis generis hostibus defendat. Notandum jam videtur quod operi inscriptum est[1]): (ll. p. 23) »Contra synodum pseudoseptimam oecumenicam sive universalem Karolus, nutu Dei rex Francorum, Gallias, Germaniam Italiamque, sive harum finitimas provincias domine opitulante regens, quae in Graecia pro adorandis imaginibus stolide et arroganter gesta est.«

Primo loco Graeci in eo reprehenduntur, quod hanc synodum universalem nuncupare conati sint: »inflammatos esse« ait auctor libelli »ventosae arrogantiae inflata ambitione quosdam orientalium partium non solum reges, sed etiam sacerdotes,« ut id facerent (ll. p. 24); frustra vero eos id fecisse, quum constet, non ab universali ecclesia adgregatam esse illam synodum (ll. IV, c. XXVII, p. 143) sanctam enim Romanam apostolicam ecclesiam, caeteris ecclesiis praelatam »pro causis fidei cum quaestio surgat, omnino esse consulendam« (ll. I, cap. VI, p. 31—32) esse vero contra beati Gregorii, Romanae urbis antistitis sententiam constitutum, imagines adorare seu frangere« (l. II, cap. XIII, p. 66). Alio loco auctor, Graecorum de imaginibus opiniones recensens: »o demens« exclamat »episco-

[1]) In prooemio libri primi (ap. Goldastum ll. p. 23).

porum confessio, o insana praesulum praedicatio!« (l. III, cap. XVIII, p. 96).

Quibus effici auctor censet, quum praesertim Franci »confessionem catholicae fidei, quam a sanctis patribus acceperint teneant et puro corde credant« (L. III, c. 1, p. 78—79). Graeci vero declinaverint, (l. II, cap. XXXI) ut jam Graecorum statutis assensus praeberi non possit. Antiquis patrum institutionibus parendum esse, cum videlicet Franci et Graeci inter se diversi sint et »quantum lux tenebris, vita morte, visio caecitate, probitas improbitate, puritas impuritate, sanitas aegritudine« — tantum Graecorum instituta a sanctorum patrum institutis distent. (l. II, cap. XII, p. 88.)

Concludit jam Karolus, vel quicunque ejus personam gerit: »quum igitur non incongrue nostrae legiones haec respuant, ab eis (Graecis) abscessimus et apud eos tandem hospitari nequivimus, quos talium errorum tumultibus invasos esse comperimus. Nulla enim est societas luci et tenebris, nec quaedam communicatio Christi et Belialis: quoniam juxta cujusdam sapientis sententiam *spiritus Dei qui utique nostri exercitus dux est effugiet fictum, non habitabit in corpore subdito peccatis*«.

His verbis, quae omnis negotii cardinem totiusque operis caput habenda esse existimo, Karolus M. velut is qui primus Romani imperii fundamenta jecit ad Rubiconem, quum ad oppugnandam Romam proficisceretur, sic Karolus, dico, quum orbem occidentalem ab orientalis imperii omni omnino nexu dissolvere vellet »jacta alea esto!« animo dixisse mihi videtur, nisi quod Karolus non vi et armis, sed summa cum subditis populis pace, arctissimo

cum ecclesia et pontifice Romano conjunctionis vinculo, imperium occidentale restituere voluisse judicandus est.

Haec enim ultimis illis verbis fere contineri puto: Nos fideles Franci, ait auctor, cum sanctissimo nostro pontifice Romano a Graecis illis nos separare debemus, nostrae legiones, vel populi qui nostri imperio parent, noster exercitus a Deo protectus in corpore subdito peccatis, id est in deperditorum Graecorum imperio »non jam habitare,« eorum auctoritate in futurum non jam teneri (quae eadem sententia voci »hospitari« subjecta est) sine magno periculo non possumus.

Sed ea, licet jam clarius quae Karolo in hac re mens fuerit aperire videantur, tamen nondum sunt omnia, sed distinctius rem eo spectare discimus, ut non solum ecclesiam Graecorum esse deperditam, sed etiam imperium, non solum fide et pietate, sed etiam de ecclesia ipsa meritis, se suosque Francos Graecis multo praestare ostendat.

Imperium Graecorum ipsum quasi gentilibus formis et superstitionibus contaminatum vituperat, quum imperatores »se divos suaque gesta divalia gentiliter nuncupare non formident« (ll. I, cap. 3, 29) idemque aliis multis formulis (quae deinceps ab auctore recensentur) faciant. Acerbioribus vero etiam quam antea verbis in libro tertio (l. III, XIII, p. 89 sqq.) Graecos de eo reprehendit, quod apud eos *mulier* (Irena scilicet imperatrix) *Deo cooperante episcopos se congregasse* dixerit, quod Irene ista ausa sit, in sancta synodo docere episcopos. In synodo enim mulierem docere minime debere. Deinde (quum alio loco Francorum orthodoxae fidei confessionem cum haeretica Graecorum componat l. III, cap. 1, p. 78—79) eorum suique ipsius de ecclesia merita commemorat: »omnium

Galliarum provincias et Germaniam sive Italiam, sed etiam Saxones et quasdam aquilonaris plagae gentes per se Deo annuente ad verae fidei rudimenta esse conversas« (l. I, VII, p. 32).

In extremo autem opere (l. IV, c. XXVIII et cap. ultimum ll. p. 143—144) quum auctor satis probasse et demonstrasse sibi videatur, arroganter Graecos synodum illam nominasse universalem, rem exponit quae proprii et a Graecis sejuncti et tamen quodammodo universalis imperii in occidente quasi fundamentum est. Dicit igitur, non Graeci tantum imperatoris esse universalem synodum convocare eamque non ab universi terrarum orbis episcopis frequentari deberi; deinde pergit: »*cum* ergo *duarum vel trium provinciarum praesules* in unum conveniunt, si antiquorum canonum institutione muniti aliquid praedicationis aut dogmatis statuunt, quod tamen ab antiquorum patrum dogmatibus non discrepat, *catholicum est quod faciunt* et fortasse *dici potest universale.* — Si vero duarum aut trium provinciarum praesules in unum convenientes, non quaedam nova statuere cupientes, conventicula quaedam faciunt, quia non cum universi orbis ecclesia sentiunt, sed ab ea quadam ex parte *dissentiunt, non est catholicum quod faciunt,* et ideo universale nuncupari non potest.«

Paucis absolvam. Karolus, vel quicunque ejus nomine haec scripsit, suum esse dicit, ut ecclesiam christianam ab haereticis dogmatibus servare studeat, hoc quasi summum christiani imperii officium ab Graecis imperatoribus omnino esse neglectum, Graecorum ecclesiam haereticis opinionibus esse obstrictam, immo ecclesiae orientali, muliere in imperiali solio sedente, imperatorem, qui solus ecclesiam

defendere et synodos convocare debeat jam deesse. Ne igitur fideles Franci talis iniquitatis contagio contaminarentur se cum suis ab Graecis abscessisse, nexum cum iis solvisse. Cum autem quod duae vel tres provinciae de rebus fidei — nisi contra canones sit — statuerint, catholicum vel etiam universale haberi possit, nihil impedire quominus occidentalia regna proprium et omnino sui juris orbem constituant, nihil impedire — quod quidem ex his omnibus facile colligas — quominus Karolus, devotus ecclesiae christianae defensor amplique regni gubernator divina gratia constitutus — imperialem in occidente dignitatem suscipiat, orientale imperium Romanum restituat.

Hi libri, quum Hadriano papae ad probandum Romam mitterentur, ille, quum de imaginibus non idem quod Karolus et Alcuinus sentiret, quum praesertim ex ejusmodi libello Graecorum amicitiam omnino esse dimittendam et ab omni cum iis commercio esse abstinendum videret, in haud parvis angustiis erat, alia de concilii Constantinopolitani institutis falsa concessit, alia defendere studuit[1]).

Quod vero Karolus tanta contentione consecutus erat, id mox in concilio Francofurtensi ad effectum perduxit. In hac enim synodo duarum vel trium (vel plurium) provinciarum episcopi universalia et catholica, eaque non omnia cum pontificis Romani sententiis congruentia instituerunt Karolusque, nulla orientalis imperatoris habita ratione, in omnibus quasi imperatorem, quod viri docti bene observarunt, se gessit[2]). Quod tamen coronam imperato-

---

[1]) Respondet enim Hadrianus ad eundem libellum v. Hadr. epist. ap. Mansium Concill. ampl. coll. XIII, 759 sq.

[2]) v. ap. Eichhornium ll. I, p. 684 (edit. 4.) ubi ejusdem »de jure ecclesiastico« liber (I, 40) citatur.

riam nondum ab Hadriano accepit, id praematurae hujus a Karolo valde dilecti pontificis morti potius, quam quod alia impedimenta obstiterint, tribuendum esse videtur. Hadriano autem mortuo Karolus restituendi imperii consiliis vel, quod fere idem videtur, rebus Romanis et pacto quodam de hac re cum Romano pontifice faciendo minime renunciasse putandus est.

Qui enim Hadriano successit Leo III statim per legatos claves confessionis sancti Petri ac vexillum Romanae urbis cum aliis muneribus« regi misit, rogavitque »ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret[1]).« Karolus Angilbertum, monasterii sancti Richarii abbatem, optimum et sibi fidelissimum consiliarium cum literis ad Leonem misit, quumque et in epistola et in praecepto Angilberto dato, tum »se gavisum esse seu in electionis unanimitate, seu in humilitatis illius (scilicet Leonis papae) obedientia et in promissionis ad se fidelitate[2])« dicat, tum Leonem, ut sanctos canones observet et sanctam vitam agat, alia etiam nonnulla admoneat[3]) — duo ex his colligenda esse censeo, unum, Leonem non omni vitio caruisse et pretio, ut videtur, pontificatum emisse — in praecepto enim Angilberto dato ab hoc vitio ut ecclesiam vindicet admonetur — alterum vero eundem papam Karolo quaedam promisisse vel concessisse, de quibus praeter illam epistolam nihil jam certi nobis restat[4]).

---

1) V. Einardi ann. adann. 796.

2) v. Bouquetum SS. t. V. Cod. Karol. p. 625. — 3) ll. p. 625.

4) Non pauca — ut occasione data jam supra memoravi — in codice Karolino de ea causa sunt obscuriora, quod pontifices et reges vel imperatores aliique quorum epistolae ad rem faciunt studio, ne quae inter

Circa haec ipsa tempora, quum Karolus non tantum potentia et auctoritate polleret, sed etiam in Urbe ipsa et apud papam tantum posset, ut ab imperiali dignitate non jam plus quam titulus et nomen deesse videretur, ex ipso sibi familiarissimo consiliario et magistro audivit, quantum hoc ipsum nomen apud homines valeret. Alcuinus in epistola ad regem missa[1]: »tres personae« ait »in mundo altissimae hucusque fuerunt: apostolica sublimitas, quae beati Petri, principis apostolorum sedem vicario munere regere solet. Alia est imperialis dignitas et secundae Romae (Constantinopolis) saecularis potentia; tertia est regalis dignitas, caeteris praefatis dignitatibus potentia excellentior, sapientia clarior, regni dignitate sublimior.«

Nonne stimulos Karolo admovere voluisse his verbis putandus est Alcuinus? praesertim cum paulo post in eo solo salutem ecclesiarum Christi »inclinatam recumbere, eum vindicem seclerum esse« alia praeterea addat! Deinde id nobis hoc loco in memoriam reducamus, fuisse eundem Alcuinum qui haec scripsit, eundem quem ad unum fere

---

eos arcano transigi deberent casu quodam divulgari possent, levius tantum significabant. (Velut in epistola Alcuini ad Arnonem, Juvaviae archiepiscopum missa [v. Froben. Alc. opp. I, ep. 92, p. 134—135] ubi de Leonis papae criminibus non aperte agere vult epistolamque quae illi noxia fieri posset, combussisse scribit). Etiam hoc loco ejusmodi obscuritatem dolemus. — Caeterum ex vita Leonis III — non quidem ex ea quam Anastasius, qui vulgo vocatur, incertus et dubiae fidei ille adulatur (v. de eo in excursu, opusculo addito ibique maxime Ciampinii judicium) sed ex fide digna, quae critica arte adhibita et Anastasii narratione cum omnibus de Leone testimoniis, maxime codice Karolino composita, integram hujus papae indolem moresque ejus depingat, multam lucem ad restitutionem occidentalis imperii caperemus.

[1]) Bouquetus t. V. Cod. Karol. p. 613.

omnes librorum Karolinorum auctorem nominant. Quod autem Alcuinus illis scriptis intendisse videtur, id anno fere post et in eo ipso negotio quod Alcuinum ad illam epistolam scribendam commoverat, inter Karolum et Leonem papam factum est.

Illud vero negotium hoc erat. Paschalis et Campulus quidam, defuncti pontificis (Hadriani) nepotes, de interficiendo Leone III — non satis constat qua de causa[1]) — conjuraverunt. Quum autem anno 799 ante diem octavum Kalendas Majas in solemni letania papa equo veheretur, conjurati eum adoriuntur, equo dejiciunt, dejectum quum interficere non possent, oculis et lingua vulneratum relinquunt[2]).

Postquam Albinus cubicularius dominum ex turba subduxit, Winigisus, dux Spoletinus, vassus Karoli, qui prope urbem erat, statim Spoletium eum deduxit[3]). Post aliquot autem dies per duos episcopos et tres comites, quasi Karoli legatos, Romae in sede sua restitutus est[4]).

Dein statim Karolus Leonem per Hildebaldum archiepiscopum Coloniensem et Ascharium comitem ad se venire

---

1) Einardi ann. ad ann. 799; vita Leonis III ap. Murat. SS. RR. Ital. III, p. 197 sqq.

2) Longum est et paene omnino fieri non potest, ut omnia de hac re testimonia inter se congruentia reddantur. Anastasius (ll. p. 197) bis oculos et linguam crudeliter eruere conatos esse conjuratores, Einardus, qui eundem nuntium accepit tamen »ut aliquibus visum est« addit (v. ann. ad ann. 799) Karolus de hoc miraculo dubitavit; Alcuinus, de hac re ab eo interrogatus, rem in dubio relinquit (v. Alcuini epist. 93. cod. Karol.) Joannes diaconus (v. excursum), ab ira studioque in hac re remotior: »Leonis« ait »cum vellent oculos eruere, inter ipsos tumultus, sicut assolet fieri, unus ei oculus paululum est laesus (Murat. SS. I, II, p. 312).

3) Einardi ann. 799.

4) Anastas. v. Leonis III ap. Murat. SS. III, p. 198.

jussit[1]), Pipinum filium ei obviam misit et cum ipse ad debellandos Saxones proficisceretur, Paderbrunnôn illi praestolabatur et deinde cum summo honore et veneratione recepit, et quamvis in privatis rebus cultuque quotidiano simplex et parcus, quum papa apud ipsum esset, splendidissime omnia et abundantissime instituit. Leo papa certe, qui vix ex conjuratorum manibus, idque per Karoli ministros et vassos elapsus erat, quum per amplas Francorum regni terras ad potentissimum regem proficisceretur, verum esse sentiebat quod Hadrianus quondam ad eundem regem scripserat: »ecclesiae et pontifici nullum in aliquo post Deum fiduciam et refugium esse, nisi in Francorum regis fortissimo brachio.« De Graeci imperatoris vel Irenae auxilio — quod posterioris aevi scriptor Byzantinus eum antequam Karoli auxilium ipsi obtigerit petiisse narrat[2]) — certe non cogitavit.

Orientale enim imperium intestinis dissensionibus aeque ac externis bellis labefactatum et femineo Irenae regimine majestate non paullo imminutum erat, Karolus vero, qui a puero amorem erga beatum Petrum habuerat, qui jam legitimus defensor sanctae Dei ecclesiae erat, is in omni periculo papae auxilium ferre et valebat solus et libentissime volebat.

Hoc modo Leonem secum reputasse non temere conjicias. Et cum Zacharias papa Pipinum de Karolorum stirpe »qui curas totius regni et omnium negotiorum molestias ferret[3])« contra eum, qui falso regis nomine utere-

---

1) ap. Murat. II. p. 198.

2) Vide Const. Man. ex rec. Bekkeri ed. Bonnens. p. 192 v. 4500 sq. (v. integrum locum in excursu).

3) Enhardi Fuldens. ann. 751 ap. Pertzium SS. I, p. 346.

tur (Hildericum dico) regem unxisset[1]), et Hadrianus papa anno 774 Karolum, cujus summam regalem potentiam divinitus praeordinatam[2]), quem supra pristinos omnes fidelissimos et orthodoxos reges atque imperatores esse crederet, eum patriciatus corona coronasset[3]), Leo quoque Karolo, qui omnia christiani imperatoris officia jam executus esset et apud quem omnis ecclesiae christianae salus et auxilium constituta essent — imperatoriam coronam esse imponendam censuit.

Papae cum Karolo apud Paderbrunnam congressus ipse ad illam rem summopere faciebat. Quum enim tristis Leonis casus omnis fere Christianitatis oculos ad eum convertisset et paene omnes Franci papam, qui tam inaudita perpessus erat, salvum tutumque apud regem esse gauderent, ejusmodi restaurandi imperii consilio favere debebant. Idem Angilberti optimum »de adventu Leonis papae ad Karolum regem« carmen legenti tibi elucebit, ubi Karolus et Leo quasi summi et inter se conjuncti in omni Europa domini nominantur[4]):

»Ante sacerdotem ter summum exercitus omnis Sternitur, et supplex vulgus ter fusus adorat, Pro populoque

1) Einardi ann. ad ann. 750.

2) Epist. Hadr. I ad K. M. v. Bouqueti SS. t. V, ep. 78, p. 563.

3) Annalista Salernitanus (Chron. Salernit. ap. Murat. SS. II, II, p. 193). »Karolus« ait »cum capta esset Papia, Romam venit et ibi intravit et ab Adriano papa in capite ejus pretiosa imposita est corona.« Ad quae Muratorius recte: »Karolum M.« ait »cum Karolomanno ejus patruo confundit. Minime vero contemnendum quod ille addit, de corona ab Hadriano I K. M. imposita anno 774, quum nempe is primum Romam profectus est. Corona haec *fuisse videtur diadema patriciatus* patriciis enim — aureus circulus deferri solet.«

4) V. ap. Pertzium SS. II, p. 402 ll. v. 501—505.

preces ter fundit pectore praesul: *Rex, pater Europae, et summus Leo pastor in orbe* Congressi, inque vicem vario sermone fruuntur.«

Fides igitur habenda videtur Joanni diacono, secundae saeculi noni partis scriptori, Leonem pro auxilio et defensione sua Karolum imperiali diademate coronaturum jam statim post illam contra se factam conjurationem spopondisse referenti[1]). Hoc modo etiam elucere videtur, cur Karolus Leonem ad se in Saxoniam venire jusserit, quum ad vitam papae defendendam Winigisus dux cum comitibus et legatis sufficere videantur. Quum enim per hos post nonnullos dies restitutus esset Romae, nemo jam mali aliquid ei parare conatus est.

Certe inopinato et inaudito illo facinore quod in Leonem commissum erat, omnes quibus salus ecclesiae et orbis christiani curae erat, ad temporis conditionem serius considerandam impellebantur, quod non solam Alcuini de hac re epistolae, sed plura quoque de tristi Leonis casu et de adventu Leonis apud Karolum carmina, a celeberrimis illius temporis poetis composita[2]): Theodulfo, Aurelianensi episcopo, Alcuino et Angilberto testantur[3]). Nullo temporis momento Karoli M. in orbe christiano et in ecclesia auctoritas et defendendi et regendi ejus divinum quoddam jus et potestas clarius et gravius praedicata esse videntur, quam epistolis et carminibus illis.

---

[1]) Joann. diac. chron. Murat. SS. I, II, p. 312 c.: »Hic (Leo III) fugiens ad Karolum regem, spopondit ei, si de suis illum defenderet inimicis, augustali eum diademate coronaret.« De Joanne v. Excursum.

[2]) v. Bouquetum SS. V, p. 412.

[3]) ll. p. 412—413. Etiam Frodoardi carmen de hac re exstat. (»De Leone III«) ll. p. 469.

Quum autem Leo papa honorificentissime restitutus esset, Karolus, absolutis pluribus legationibus, ad tutanda maris litora contra piratarum invasiones in Galliam ivit, apud sanctum Richarium pascha celebravit, post Aurelianos ad Theodulfum episcopum qui inter Karolo familiarissimos erat et cum Alcuino sentiebat, deinde Turonos ad Alcuinum ipsum — orationis causa, ut Einardus dicit[1]) — profectus est[2]). Mense Augusto autem anni 800 generali conventu Moguntiaco habito, cum magnis copiis in Italiam se convertit. Jam quae inde a Leone papa in Italiam reverso egit significare videntur, magna eum secum volvere: quantacunque potuit cura pacem in Gallia et Germania firmavit, deinde ad optimos suos consiliarios: Angilbertum, Theodulfum, Alcuinum se contulit et quum cognovisset, »per omnes suos fines se habere pacem« itineri in Italiam se cum Pipino filio suo commisit.

Postquam apud Anconam Pipinum ad bellum Beneventanis inferendum dimisit, ipse Romam se direxit et apud Nomentum a papa summo honore et veneratione quum exceptus esset, clero et populo Romano externarumque nationum scholis, quae ei obviam iverunt, solemni modo gratias agentibus[3]), cum psalmodiis et omnium comitantium gaudiis Urbem aeternam per viam triumphalem intravit.

Post hebdomadem, Kalendis Decembribus anni 800 concilio convocato maxime de investigandis quae Leoni pon-

---

1) Ein. ann. ad ann. 800. Hac formula Einardus saepius, ut consilia Karoli tegat, male utitur (v. s. a. 774).

2) Chron. Moissiac. 800. cf. vita Hludov. Pii ap. Pertzium SS. II, p. 612. »utpote ab externis quiescens bellis.« Ein. ann. ad ann. 800.

3) Vide Pertzii de hac re adnotationem. Einn. ann. SS. I, p. 188.

tifici objiciebantur criminibus se Romam venisse omnibus patefecit[1]). Dein Leonis causa praesidente Karolo in concilio strenue acerrimeque tractabatur. Quum autem, ut alii referunt[2]) »nulli inventi sint qui aliquid criminationis in Leonem haberent, quod dicerent, ut alii, venisse quidem qui apostolicum condemnare vellent[3]),« sed quum Karolus et episcopi hasce criminationes non justitiae sed invidiae causa factas esse judicassent, Leonem ab omni illorum seclerum suspicione vindicatum esse.

Clerus autem qui aderat omnis haec professus est: »nos sedem apostolicam, quae est caput omnium Dei ecclesiarum judicare non audemus, nam ab ipsa nos omnes et vicario suo judicamur, ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum et antiquus mos fuit[4]).« Postero autem die papa conscenso ambone, sanctissimum super quatuor evangelia sacramentum in illa synodo juravit, omniumque quae in iniquo in ipsum criminata sint se insontem esse et inter alia haec verba — quae rei caput sunt habenda — professus est: »Et hoc propter suspiciones tollendas mea spontanea voluntate facio, non quasi in canonibus inventum sit, aut quasi ego hanc consuetudinem in sancta ecclesia successoribus meis nec non et fratribus et coepiscopis

---

1) Vita Kar. M. cap. 28; cf. ann. ad ann. 800.

2) Anastasius v. Leonis ll. III, 199 et chron. Moissiac. ad ann. Cod. Rivipull. (ap. Pertzium SS. I, p. 304).

3) Chron. Moissiacense cod. Moissiac. ap. Pertzium SS. I, p. 304: »Et ibi (in synodo) venerunt in praesentia, qui ipsum apostolicum condemnare voluerant, tunc dixit ipsi piissimus princeps Karolus et universi episcopi et sancti patres« cet.

4) V. Anast. v. Leon. ap. Murat. ll. III, p. 199. Haec episcoporum professio etiam in Alcuini ad Arnonem epistola fere continetur (v. ap. Frobenium Alc. opp. I, ep. 92, p. 134).

nostris imponam[1]).« Quo facto ab universo clero letania facta, laudes Deo, Mariae semper virgini beato Petro omnibusque sanctis Dei solemniter actae sunt[2]).

Hoc modo Leonis papae auctoritas non solum restituta sed, quod facile intelligas, magnopere aucta est. Nam coram sancta et quasi universali synodo, coram maximo et potentissimo rege, sententia et quasi dogma probatum et sancitum erat, judicandi pontificem Romanum potestatem habere neminem, ne ipsum quidem sanctum cleri conventum. Eodem vero modo, sine Karoli auxilio et auctoritate papam id non consecutum fuisse nemo facile est quin videat.

Hoc rerum statu maturum jam videbatur, aperire coram synodo grande illud consilium, quod jamjam in mente animoque Karoli versatum fuisse et quod cum Leone jam apud Paderbrunnam communicasse opinati sumus, *restituendi* scilicet, quod re jam factum videbatur, Karoli regis per Leonem papam solemni coronatione — *imperii in occidente Romani.*

Optimi quidem in caeteris maxime rebus rerum auctores — quod concedi debet — de hac re cum episcopis et concilio actum esse non referunt, sed in hisce rebus, quae maxime ex scriptorum ipsorum studiis pendere videntur, illi ipsi, qui caetera rerum quos narrant peritissimi sunt habendi, studio nimis capti esse solent. In tali ergo

---

1) Formula hujus sacramenti exhibetur ap. Pertzium in legg. II[do] (in supplemento ad tomum primum) p. 15.

2) Anastas. in v. Leonis. ll. p. 199. »Hoc peracto omnes archiepiscopi, episcopi et abbates et cuncti clerici letania facta laudes dederunt Deo, atque Dei genitrici, semperque virgini Mariae dominae nostrae, et beato Petro apostolorum principi, omnibusque sanctis Dei.«

re si veritatem eruere vis, ii quoque testes adhibendi sunt, qui non docti quidem candidique in narratione, sed a partium studio magis alieni videntur[1]).

Annalista igitur Laureshamensis, auctor chronici Moissiacensis[2]) — qui melioribus auctoribus niti potest — et Anskarius in vita Willehadi — qui ex annalibus Laureshamensibus, liberius tamen hausisse videtur[3]), eas cur Karolo imperatorium diadema et honor imperii debeat causas afferunt, quas fere in libris Karolinis enumeratas vidimus: »cessare jam apud Graecos imperium, deficientibus ibi virili stirpis regalis progenie[4]), feminam potius quam imperatorem res imperii ministrare[5]), Karolum plurium antiqui imperii provinciarum rectorem divina favente gratia esse constitutum, plures veteris Romani imperii sedes, immo, Romam ipsam, matrem imperii, sedem sancti Petri jam tenere. Harum fere rerum habita ratione »quod caesarea appellatione dignus videretur[6]),« maximo episcoporum et aliorum Dei fidelium concilio Karoli coronationem fuisse decretam.

Jam non solum natalis Domini nostri Jesu Christi

---

1) De testium, quide restauratione occidentalis imperii exstant fide et mutua inter se ratione v. quae in excursu disserui.

2) v. ap. Pertzium ll. SS. II, p. 381 et excursum.

3) v. excursum.

4) »Et quia jam tunc cessabat a parte Graecorum nomen imperatoris.« Ann. Lauresh. ap. Pertzium SS. I, p. 38. v. Willehadi ap. Pertzium II, 381.

5) »feminea magis dicione res administraretur.« v. Willeh. ll. II, 381. Chron. Moiss. Ann. Lauresham.

6) »Tunc visum est et ipso apostolico Leoni et universis sanctis patribus, qui in ipso concilio aderant, seu reliquo christiano populo, ut ipsum Karolum regem Franchorum imperatorem nominare debuissent.« Ann. Lauresh. cf. Willeh. Chron. Moiss.

primusque novi saeculi dies (nam plurimi illius aevi scriptores a natali Christi die annum inchoabant) sed etiam res appropinquabat, quae inter magna illa quae Karolo contigerunt fere maximum, ad constituendas res occidentalium populorum, maxime vero ad sanctitatem quandam patriae nostrae historiae fundandam multo majoris momenti esset — nisi forte majore jure hanc rem, ut multa quae in hac medii aevi parte evenerunt, ex vulgari certorum populorum historia esse eximendam eamque, quippe cujus centrum in alteriore sphaera (si hoc verbo uti licet) positum sit, inusitatiore quodam modo divinae in rebus humanis providentiae adscribendam esse tibi videatur.

Sed ut saepe in magnis rebus fit, de ipso rerum cardine — coronationem enim jam specto — nec multa et copiosa nec satis integra vel inter se congruentia testimonia nobis supersunt. Sed jam ad rem ipsam accedamus.

Quum enim Karolus Magnus die natali salvatoris nostri cum iis qui in synodo adfuerunt festum hunc diem in basilica sancti Petri apostoli celebraret[1]), inter ipsa missarum solemnia, coram altari et sacratissimo beati Petri corpore[2]), quum, postquam hoc loco ad orationem se inclinaverat, ab oratione surgeret[3]) Leo papa pretiosissimam coronam[4]) capiti ejus imposuit et imperatoriam vestem ei

[1]) v. Anastasium v. Leonis II. p. 199.

[2]) Ann. Lauriss. 801. »ante confessionem sancti Petri apostoli.« Ann. Laur. min. 800 »coram sacratissimum B. Petri corpus.« poeta saxo 801 v. Pertzium I, p. 120 et 259.

[3]) Ann. Lauriss. (mag.) 801. »cum ab oratione surgeret.« Einardus ann. II. »coram altari, ubi ad orationem se inclinaverat, adsisteret.« Idem faciunt Einardi ac Laurissensis annalistae verba (v. excursum).

[4]) Anastasius II. p. 199. »venerabilis almificus pontifex manibus suis propriis pretiosissima corona coronavit eum.« Praeter *coronam* etiam

induit[1]); Karolum, ut Samuel quondam in Saulo et deinde in Davide, Judaeorum regibus[2]) fecit, sancto oleo perunxit[3]).

Quo facto omnes qui aderant, universa synodus, praecipue vero Romanorum civitas ter[4]), solito et tralaticio in imperatorum coronatione modo: »*Karolo Augusto, a Deo coronato magno et pacifico imperatori Romanorum vita et victoria!*« unanimi adclamaverunt[5]). Leo papa autem,

gladius inter Karolorum imperii insignia ab Lothario I imperatore commemoratur. Postea de Karolo Calvo etiam *sceptri* fit mentio: »Lotharius, pii Ludovici filius, consors patris coronatus, ita genitorem admonet: Coram altari et coram sacro corpore B. Petri principis apostolorum a summo pontifice vestro ex consensu et voluntate benedictionem, honorem et nomen suscepi imperialis officii, insuper *diadema capitis* et *gladium* ad defensionem ecclesiae« (Mabillon. saec. IV, p. 513). Hic locus ex vita Walae (v. ap. Pertzium SS. II, p. 564 ll. l. II, c. 17) ubi de *gladio* ad defensionem *ipsius* ecclesiae et *imperii* dato agitur. De *sceptro* vide Concil. Romanum ann. 877. ap. Labbeum (conc. tom. IX, p. 295). Cf. etiam Cennii dissertationem »de ritu coronationis Karolorum Augustorum« (Monn. domin. pontif. II, p. 253—258).

1) Theophanis chronogr. ex recens. Classenii (ed. Bonn. I, 733). *περιβαλὼν βασιλικὴν ἐσθῆτα καὶ στέφος.*

2) Einardi ann. Lauriss. ann. ann. Lauresham. chron. Moissiac. illam unctionem omittunt. Tamen de hac re non dubitandum esse censeo v. Anastas. ll. p. 199, qui Karolum unctum esse refert; deinde epistolam apologeticam Ludovici II imperatoris ad Basilium imp. Cpolitanum missam (ap. Murat. SS. II, II, ll.) »Francorum reges — imperatores dicti sunt: *ii dumtaxat, qui — ad hoc a Romano pontifice oleo sancto perfusi sunt, in qua etiam Karolus Magnus, abavus noster, unctione ejusmodi per summum pontificem delibatus* — imperator dictus et Christus (*χριστός*) Domini factus est.« Ibidem Karolorum unctio cum Sauli et Davidis componitur (ll. §. LX).

3) Theophan. ll. *Χρίσας ἐλαίῳ ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν.* cf. Const. Man. ed. Bekkeri p. 193.

4) »ter« addit Anastasius ll.

5) id. »unanimiter, altisona voce.«

secundum antiquum morem, quem Gaius Caesar primum instituit, Karolum adoravit[1]). Ex illo tempore, omisso patricii nomine[2]), Imperator et Augustus, vel etiam Caesar, Romanum gubernans imperium ab omnibus vocatus est[3]). Hoc fere modo imperium in occidente Romanum restitutum est.

Haec igitur quae de restituendo vel restituto imperio nimis nuda quidem, ut videtur, sed tamen quae ipsam rem quomodo facta sit, fere doceant exstant testimonia fortasse sufficere possent, nisi in optimis quibusque fontibus de hac re quid inter Karolum et Leonem actum vel ab utroque cogitatum esset, memoratum desideraremus, nec apud Einardum in vita Karoli magni, imperii nomen primo ita aversatum eum esse, ut affirmaret, se eo die quamvis praecipua festivitas esset ecclesiam, si consilium pontificis praescire potuisset, non intraturum fuisse inveniremus[4]). Eodem fere modo Anastasius in vita Leonis repente et nutu vel inspiratione quadam divina, vel potius subita quadam papae voluntate Karolum esse coronatum dicit, (ll. p. 199) ita ut tota res quasi Deus ex machina facta esse videatur.

Nos vero jam supra eorum testium fidem sequendam esse instituimus, qui vel post dejectum Leonem pactum

---

[1]) Einardus. Ann. Lauriss. Lauresh. Chron. Moiss. Enh. Fuld. (Poeta saxo).

[2]) Einardus ll. ann. ad ann. 801. »Caesarem« Karolum in annalibus Sangallensibus (pars II genuina, ex codice saeculi noni inchoantis) vocatum invenio. Est enim ibi ad ann. 814: »in hoc anno domnus Karolus *cesar* obiit« cet. (v. Pertzii Monn. t. I, p. 64).

[3]) Jam in primo capitulari anni 801 l. V. ap. Pertzium legg. t. I, p. 83.

[4]) v. Ein. V. K. Magni cap. 28.

inter regem et pontificem factum esse referant, (Joannem diaconum praecipue dico) vel non multo ante coronationem in concilio Romano de ea re actum esse dicant. Id quum ibi rei magis verisimilitudine quam singulis argumentis statuerimus, hoc jam loco nonnulla vestigia, quae nos jure id statuisse probent addere studebimus.

Ut primum vero ad hoc opusculum conficiendum me contuli, ab conjecturis in tanta re quam maxime possem abstinendum esse persuasum habui. Lubricum enim et periculosum est, de rebus historicis, maxime vero de re quae vel ob cupiditates et studia nostra, vel ob fontium inopiam et ob antiquitatem tam difficile dignoscatur opinioni se dare. Nonnunquam tamen, maxime autem hoc loco ad rerum veritatem eruendam et ne auctorum potius opiniones et vitia, et subjecta partium studio de rebus figmenta, quam res et veritas ipsae nobis sub oculos subjiciantur, alia esse rejicienda, alia, quae vel minus accurate dicta, vel omnino omissa videantur, conjecturis fide dignis supplenda esse vidi. Et ne temerius conjecturarum mearum opellam exercuisse videar, quum ea excusatio mihi in promptu sit, quod testimoniis arte critica adhibita examinandis et perpendendis tantum animum ad rerum remotiores intimasque causas cognoscendas adtendimus, et hoc modo judicia ex judiciis gignunt — tum vero id me a temeritatis suspicione, quum in hac re conjecturam facere coner, liberare videtur, quod omnes scriptores qui de hac re egerunt (quos quidem legerim) eam talem esse senserint, de qua conjectura complere et mutare debeant.

Sed jam res ipsa loquatur. Karolus M. enim, quamquam probae integraeque fidei esset, tamen, ut in rebus

maxime versatus, in rebus gerendis saepe cautus et tectus erat, multa consilia plurimos celabat quae, quum postea insperata exequerentur, majorem vim habere viderentur. Hanc eum rationem maxime in institutione palatii secutum esse Hincmarus in libello sive epistola »de ordine palatii« nos docet. Pontifices Romanos, praecipue vero illum qui vitas eorum conscripsit vel in unum collegit, non minus, ne dicam magis — multa ambigue acta aequales suos et posteros celasse concedendum est, quae melius ignota manere visa sint. Maxime autem hoc loco, ut elucet, et Karoli et pontificis intererat, si tota res subito et ex insperato, divina quadam inspiratione[1]), per Leonem papam facta videretur.

In illo autem concilio, quod maxime de iis quae in Leonem criminabantur erat, etiam de restituendo imperio actum et fortasse ceteros homines rem usque ad natalem Christi diem celatam fuisse existimo.

Caeterum eo quod coronationem subito et divina inspiratione factam esse Franci ipsi credebant, majorem hujus rei sanctitatem secundum illius temporis opiniones factam esse constat. Deinde eo, quod Karolus se de hac re non cogitasse, immo, primo dectractasse, et tantum ob amorem[2]) Dei et christiano populo morem gesturum, solo Leone papa auctore coronam imperatoriam suscepisse dicebat, Graecorum invidiam (qui hac re eum in ipsorum

[1]) »divino nutu«, divina favente clementia«, »divina inspiratione«, alia ejusmodi de restitutione imperii et apud scriptores et in diplomatis et epistolis et in Karolorum capitulariis leguntur.

[2]) In pluribus fontibus hoc legitur. Ein. v. c. 28. chron. Moissiac. Ann. Lauresh. cet. »universo christiano populo petente (scil. illum augustalis nominis honorem) denegare noluit.«

jura invasisse existimarent)[1]) laesique juris suspicionem ipse evitavit. Populi vel vulgi sententiae tamen, divina providentia Graecis regnum sceptrumque quasi impiis et deperditis demptum esse visum est[2]).

Quod tamen Einardus Karolum illam coronationem tantopere aversatum esse dicit ut, si praescire potuisset, ecclesiam festo illo die se non intraturum fuisse diceret, ita fortasse explicari potest, ut ipsum coronationis modum eum offendisse censeamus: diei et loci nimiam sanctitatem[3]) quum ex ipso Einardo, quanto studio, quam religiose quae ad exteriorem christianae religionis cultum pertinebant ab saecularibus rebus omnino integra et immaculata servare studuerit memoratum videamus: gentilem et veterum Romanorum, orientalibus et Graecorum ritibus desumptam adorationem (*προσκύνησιν*) alia ejusmodi.

Sed ab hac parte rem nunquam satis explicari posse facile concedo, de eo maxime, quod Einardus in vita dicit, dubium quoddam semper remansurum esse censeo, de eo autem, quod Karolus rem ipsam non solum non ignoravit et detractavit, sed etiam summo studio spectavit, minime dubito.

Non omnino spernenda videtur comitis de Buenau de hac re conjectura. Is enim, quum ex alio loco rem spectet, scilicet quod Karolus conjunctione et pactis cum Graecis

---

1) Romam sibi ereptam, fidelitatem erga graecum imperatorem derelictam esse omnibus graecis testibus videtur. (v. Theophanem ll. p. 732. Const. Man. ll. v. 4520 sqq. Zonaram, Cedrenum.

2) Quod copiosissime in chron. Moissiac. (cod. Rivipull. ap. Pertzium SS. I, p. 305—306) expositum invenies. cf. Alcuini opp. ed. Frobenii I, ep. 80.

3) Einardus, v. K. M. cap. 28.

initis coronam imperatoriam assequi voluerit et eo ipso tempore quo coronatus sit, Graecorum de hac re legationem exspectare voluerit, Leonem papam aliqua quidem ex parte consiliis ejus obstitisse putat[1]).

Sed quum quidem multa in his obscuriora et conjecturis vix explenda videantur, tamen, quod minime mireris, illud quod supra statuimus secretum non prorsus servatum esse invenimus et in ipsis fontibus vestigia nobis esse relicta quae conjecturam illam veram esse doceant.

Alcuinus enim abbas »Karoli magister« et inter omnes doctos viros, qui illo tempore magni regis familiaritate usi sunt, facile ei familiarissimus, is qui de tristi Leonis papae casu omnibus caeteris plures epistolas et dedit et accepit, qui maxime tristem ecclesiae statum regi ante oculos posuit, qui de tribus in orbe potestatibus, ut supra memoravimus, de tristi imperatorii nominis apud Graecos exitio[2]), ipsius vero summa potentia et in defendenda ecclesia meritis quum in epistolis tum in libris qui vocantur Karolinis scripsit et disseruit, is certe inter primos cum quibus Karolus suum consilium communicaverit habendus est. Fortasse Alcuinus Anglus simili quo Bonifacius, qui ex eadem natione oriundus erat modo, Germanorum et populos et principes arctiore jam quam antea vinculo in

---

1) V. Comitis de Buenau: »Teutsche Kaiser und Reichshistorie« p. II, l. 2, p. 521 sqq. Buenavius omnes inter Graecos et Karolum mutuo missas et exceptas legationes diligentissime colligit et recenset et bene observat, Karolum in toto hoc negotio optimis quibusque consiliariis: Alcuino, Theodulfo, maxime vero Angilberto usum esse. — Tamen Alcuinum prae ceteris omnibus spectandum esse observarim.

2) Alc. opp. ll. I, ep. 80, p. 117. »Quam impie gubernator imperii illius (Constantinus, secundae Romae imperator) depositus sit, non ab *alienis,* sed a propriis et concivibus ubique fama narrante crebrescit.«

Roma et pontifice idque restituendo occidentali imperio conjungendos esse omnibus caeteris prius in animum induxisse Karolumque ad idem consilium exequendum adduxisse putandus est. Ad hunc igitur Karolus antequam in Italiam iret se contulit et plures dies apud eum Turonis commoratus est[1]), eum etiam secum ut in Italiam veniret optaverat[2]).

Alcuinus igitur »dilecto suo David« gratulabundus Fredegisum, discipulum suum anno 800 Romam cum epistolis et cum divinarum scripturarum libris misit[3]), »tantas ut ei Deus benedictiones concedat« optans, quantae in illis libris literae scriptae legantur. Hic vero liber summopere ornatus, »*ad splendorem*« ut dicit, »*imperialis potentiae*« Karolo missus erat[4]). Revertenti autem de Italia imperatori aetate ille senex et febri correptus, cum juvenili quadam et paene poëtico animi impetu gratulatur, postquam id factum est, quod jam cum flagranti studio (ut ex epistolis praecipue sequitur) optaverat[5]): »cotidie,« ait, »avida cordis intentione, suspensis in verba advenientium auribus, sollicitus eram, quid mihi narrarent de domino meo dul-

---

[1]) Einardi ann. ad ann. 800.

[2]) Alcuini epist. (ap. Bouquetum SS. V, p. 613). Alcuinus toto animo se Romam ire voluisse, sed corporis fragilitate et febri correptum se omnino non potuisse dicit.

[3]) Ep. 185, Alc. opp. I, p. 248. »Epistolam parvitatis meae cum sacratissimo divinae scripturae munere, die natali Domini et verbis salutationis pacificis redde Domino meo David, cui tantas grates et laudes agimus, pro omnibus bonis quae mihi meisque filiis faciebat, quantas habet syllabas, et tantas a Deo ei dari benedictiones illi optamus, quantae in eo literae inveniuntur scriptae.

[4]) ib. epist. 103, p. 153.

[5]) ap. Bouquetum SS. V, cod. Karol. p. 617.

cissimo David: quando domum rediret, quando in patriam reverteretur. Tandem aliquando, quamvis sero, vox optata concurrentium desiderii mei innotuit auribus. Jam jam veniet, jam Alpes transivit quem tanti animi tui fervore, o Albine, adesse optasti. Tum ego repetens iterum atque iterum lacrimabili voce clamavi: o Domine Jesu, quare non das mihi pennas aquilae?«

Jam id a Lorentzio in laudato libro et ab aliis qui de hac re scripserunt bene observatum videtur, splendidissima illa opera quae Karolus die coronationis pontifici dono dedisse fertur[1]) omnemque coronationis apparatum non subito, simul cum Leonis, ut traditur, inspiratione in promptu esse potuisse.

Quum autem in hac re conjecturis paullo liberius indulsi, minime ea mihi mens erat, ut rem omnem ex iis pendere putarem, immo, quomodo Romanum in occidente imperium restitutum esset, antequam ad has conjecturas perpendendas accessi, ut pro meis viribus fieri potuit, esse demonstratum mihi visum est. In eo enim saepius in recensendis et judicandis iis rebus historicis, quae prae caeteris gravis momenti esse videntur, a doctis et ingeniosis in caeteris auctoribus peccari censeo, quod res illas ipsas eo quo gestae sunt modo, cum singulis illis quae a rerum testibus conferuntur non solum narrandas, sed etiam vi ac momento intelligendas esse putent et instituant, non ipsam propriamque rerum vim et indolem ex omni illius temporis quo gestae sunt statu et conditionibus deinde ex antecedentibus, futurarum etiam rerum habita ratione, capiendas et intelligendas esse videant.

---

[1]) V. Anast. v. Leonis ap. Murat. SS. III, p. 199.

Si igitur Bellarminius vel quivis alius, quum restituendo — vel ut parum accurate is, sed de industria dicit »a Graecis ad Francos transferendo« — Romano in occidente imperio acturus, maxime id sibi agendum, in eo rerum summam verti putat, quod ostenditur quid Leo in hac re intenderit, quid ille aut ille auctor, vel Karolo aequalis vel posterior de hac re senserit, quo usus jure Leo Karolum coronaverit, quae omnia ab hoc pontifice Karolo concessa et ob hanc ipsam causam imperii jura facta esse videantur quae minus, ita si quis rem tractandam putat, hoc quidem concedo, multum valere ad naturam et indolem illius imperii demonstrandas et exempli vim primae illius coronationis modum habere. Cujusvis etiam auctoris de hac re opinio et sententia suo quidem loco, maxime ad temporis indolem intelligendam magni facienda est. Illud vero omnino nego, illam rem, quae novam occidentalium populorum, — Germanicorum maxime et Romanorum — aetatem et rerum statum attulisse, praecipue autem, finita jam simpliciorum et magis rudium de germanica stirpe rerum publicarum quasi puerili aetate, publicae teutonicarum gentium conditionis fundamenta egisse videtur, ex Leonis quodam jure vel subita voluntate, vel omnino ex juris quibusdam principiis esse intelligendam et demonstrandam.

Itaque Karolum Magnum temporibus et statu rerum adjutum, virtute et rebus gestis, postea, ut videtur, conscio sibi studio, omni gubernandi et agendi ratione — non Leonem papam imperium restituisse docere studuimus.

Res enim historicae, si veram earum naturam spectas, non singulis illis factis et eventis quae in epitomis et summariis historicis, additis annis, mensibus, diebus quo facta

sint et in majora et minora distincta exhibere solemus, et quasi singulis temporis ictibus fiunt, sed rerum momentis innumeris, ita ut nunquam omnia tibi enumerasse videri possis, — sensim, velut animalia ex seminibus gignunt, et quod nos minus recte res ipsas nominare solemus, id ea tantum lege facere nobis licet, qua aedificio vel domui eum annum, mensem et diem inscribimus, quo ultima manus iis imposita est. Id enim, ut jam quod imagine indicavi ad rem traducam, ipsa coronationis caerimonia factum videtur.

Occidens christianus igitur quasi sui juris populorum orbis, ab omni auctoritatis cum Graecis nexu sejunctus, re ipsa temporum cursu praeparata, forma et nomine quoque constitutus erat. Hoc autem occidentale imperium non solum lingua, legibus, moribus, de divinis rebus opinionibus et tota hominum indole ab oriente valde diversum erat, sed ipsae hae diversitatis et contraria Graecorum et Francorum inter se studia, ut occidentale imperium renovaretur maxime maturaverant. Quas utriusque imperii diversitates et omnino propriam utriusque indolem ii quoque concedunt, qui non ex aevi hominumque quales illo tempore erant propria indole, sed ex juris principiis per papam maxime, Romanum imperium esse restitutum probare student[1]).

1) »Anno 801 ineunte ipso die N. D. creato in U. R. novo imperatore Karolo magno, rege Francorum, ac per hoc translato occidentali imperio e potestate Graecorum ad Francorum ditionem, iterum *Romana respublica rediit ad eum statum, in quo eam Constantinus Magnus constituerat* et in quo permanserat a Valentiniano seniore usque ad Augustulum: Quamquam illud negari non potest, quin paulo major imperii divisio fuerit a tempore Karoli M. quam antea, siquidem a Constantino

Haec igitur, ut paucis absolvam, rei summa videtur: Quae inde a magna illa populorum migratione, praecipue vero inde a fundato in Germania et Gallia Francorum regno, postquam Chlodoveus ad christianam fidem accessit, sensim creverant, ea Karolorum tempore ita jam adoleverant, ut religione, moribus, hominum studiis junctus occidentalium populorum quum Romanorum tum Germanicorum orbis factus esset. Hi populi, quum ita adulti essent, ut quasi propriis pedibus stare, orbis occidentalis gubernationem suis humeris se sustinere posse crederent, antiquis Romanis aeque ac Graecis se pares, ne dicam fortiores sentirent[1]), occasione tantum egebant, ut magno et forti de suis duce ab omni Romani in oriente imperii (cui tamen disciplinam in literis primisque cultus civilis rudimentis debebant) auctoritatis aliquo vinculo liberi proprium imperii corpus constituerent.

Magnus ille dux erat Karolus, qui ad illam rem exsequendam proprie constitutus videbatur. Dissensionum ansa illis de imaginibus rixa data, ex utriusque populorum orbis diversitatibus dissidia, inimicitiae, odia acerrima nata sunt[2]).

---

ad Augustulum, etsi divisae erant Romani imperii provinciae inter duos imperatores, quod adtinet ad regimen et administrationem, erat tamen ita commune imperium, ut leges utriusque imperatoris nomine latae ad toti imperii gubernationem et providentiam pertinerent.« Bellarminius de transl. imp. rom. ll. III, Colon. 1599. l. I, p. 88—89.

[1]) Ut Otfridus noster habet: Sie (scil. Frankôno thiot) sint so sama kuani selb so thie Romani; ni tharf man thaz ouh redinôn thaz Kriachi in thez giuuidarôn.

[2]) Quae odia quam magna apud nonnullos occidentales in primis imperii teutonici temporibus fuerint, quum alii tum Liudprandus in multis operum ejus locis nos docet.

Orientales populi vel Graeci ab sua quoque parte Francos non odio tantum habebant, sed eos metuebant[1]).

Tandem, quum Francorum regnum sive imperium non solum unicum in publicis rebus sed in ecclesiasticis quoque centrum — regem scilicet et pontificem Romanum — haberet, ecclesiastica autem et mundana auctoritas et potestas magis magisque de utriusque consiliis inter se consentirent, tunc continuis Karoli studiis et pontificibus Romanis consentientibus, bellis et de doctrinis dissensionibus ortis — effectum est »ut Franci a Graecis prorsus abscederent« (ut Karolinorum librorum verbis utar). Huic rei per Karolum et Leonem in ipsa coronatione ultima manus adhibita, Karolo ipsi imperatoris Romani in occidente diadema impositum est.

[1]) »Erat enim semper Romanis et Graecis Francorum suspecta potentia, unde et illud Graecum exstat proverbium: ΤΟΝ ΦΡΑΝΚΟΝ ΦΙΛΟΝ 'ΕΧΙϹ, ΓΙΤΟΝΑ 'ΟΥΚ 'ΕΧΙϹ.« v. Einardi. v. Karol. M. cap. 16. extr.

DE FONTIBUS PRIMARIIS QUI DE KAROLO MAGNO A LEONE III CORONATO EXSTANT.

GENERA FONTIUM.

I. Einardi genus.

Einardi annales ad ann. 801 v. ap. *Pertzium* Monn. I, p. 189.
Ein. vita Kar. M. c. 28. ll. II, p. 457. 58.
Poeta Saxo. 801. ll. T. I, p. 259.
Ann. Lauriss. 801. ll. I, p. 188.
cf. *Ann. Laur. min.* 800. ll. I, p. 120.
cf. *Enhardi Fuld. ann.* 801. ll. I, p. 352.
cf. etiam *Mon. Sangall.* de gestis Karoli M. l. I, c. 26. v. ll. II, p. 743.
Ann. Quedlinburg. 801. ll. t. III, p. 40.

II. Anastasii genus.

V. in libro pontificali *vitam Leonis III.* ap. *Murat.* SS. RR. It. tom. III, p. 199.
Angilberti hist. fundat. Sti. Richarii (vide ap. *Jaffaeum* regg. pontt. Romm. N. 1913, p. 217—218).

III. Laureshamense sive germanicum genus.

Ann. Laureshamenses. s. a. 801 v. ap. *Pertzium* monn. t. I, p. 38.
cf. *Anskarii vita Si. Willehadi.* c. 5. v. ap. *Pertzium* ll. II, p. 381.
cf. etiam *Ann. Sang.* p. II genuina s. a. 801. ap. *Pertzium* I, p. 63.
Ann. Colon. 801. ll. I, p. 97.
Ann. Guelferbyt. pars alt. ll. p. 45. 800.
Ann. Laubac. 801. Monn. I, p. 15.
Ann. Juvav. min. 801. ll. I, p. 89.
Ann. Sti. Emmerami mai. ll. I, p. 93.
Ann. Weissenb. 801 (800) III, p. 40.
ib. *Lamb. ann.*

IV. Mixtum genus.

Chronicon Moissiacense ad ann. 801.
a. *codex Moissiac.* } P. monn. Germ.
b. *codex Rivipull.* } I, 305—6.
cf. *Annales Francorum breves:*
Ann. Juvav. maj. 800. ll. I, p. 57.
Ann. S. Amandi. 800. ll. I, p. 14.
Ann. Sang. breves. 801. ll. I, p. 63.
Ann. Weissenb. 801. ll. I, p. 111.
Ann. Flaviniac. 801. ll. III, p. 151.
Erchanb. breviar. ll. II, p. 328.
Ann. Ausciensés. 801 (800). III, 171.
Ann. Monasterienses. 801. ll. III, p. 151.

V. Graecum s. Theophanis genus.

Theophanis chronogr. ex rec. *Classenii.* t. I, p. 732. 733. 736.
(pauca ap. *Cedrenum* [ed. Bonn. ed. Bekkerus] et *Zonaram* [ed. Bonn. ex rec. *Pinderi*]).
cf. *Constantinum Manassen* ed. Bonn. ex recens. *Bekkeri* breviar. histor. metr. p. 192. a. v. 4491—4524.

Ex his fontibus omnibus non pendent:

Joannis diaconi chron. episcc. Stae Neapolit eccl. *Mur.* SS. RR. Ital. I, II, p. 312.
cf. *epit. Chron. Casinens.* (fortasse Anastasii cujusdam) v. ap. *Murator.* SS. RR. Ital. II, I, p. 364.

In examinandis et digerendis fontibus primariis unde de restaurato vel renovato in occidente imperio Romano haurias, ante omnia a duobus testibus proficiscendum esse censeo, ab Einardo et ab eo cui vulgo, quamquam incongrue, nomen indi solet Anastasio bibliothecario, non quo hos testes in hac re vel integerrimos censeam, vel etiam quo eos sufficere in quibus acquiescamus contendam — mihi enim longe alia mens est — sed quia eodem de quo referunt tempore vixerunt et eo loco eaque conditione positi erant, ut peritissime et optime de hac re judicare possent. Alter enim, Einardus, magna cum Karolo M. familiaritate utebatur et quae scribit publicam quandam speciem et colorem prae se ferunt.

Jam is inde ab anno 800 rebus publicis interesse ad easque a Karolo M. admoveri consiliisque ejus interior fieri coepit et ab hoc ipso tempore ad res politicas mente percipiendas maturiorique judicio concipiendas et cognoscendas aptior fuisse videtur[1]). Itaque Einardum proprie et prae ceteris omnibus imperii Karolorum scriptorem nominaverim et quae scripsit ea ipsa proxime ad Karoli M. ingenium et consilia accedere putaverim[2]).

Quare primum eum audiamus, Anastasio haud dubie graviorem testem, ut est in annalibus qui ei optimo jure adscribuntur. Est autem ibi sub anno 801[3]):

---

[1]) v. Rankium: Zur Kritik mittelalterlicher Reichsannalisten. (ann. acad. reg. Berol. 1854) l. s. c. p. 418; de Einardi scriptis v. etiam praeter Pertzium l. l. Baehrium (Gesch. d. röm. Lit. im karol. Zeitalter) p. 163. cf. ib. p. 200 sqq. et Wattenbachium (Deutschl. Geschichtsquellen) p. 110.

[2]) Huc non pertinet, quod Einardus in posteriore suae vitae parte et in epistolis aliter sentiebat.

[3]) v. ap. Pertzium Monn. Germ. histor., scriptorum tom. prim. p. 189.

»Ipse (Karolus) autem cum die sacratissima natalis Domini ad missarum solemnia celebranda basilicam beati Petri apostoli fuisset ingressus et coram altari, ubi ad orationem se inclinaverat, adsisteret, Leo papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo adclamante: *Karolo Augusto, a Deo coronato magno et pacifico imperatori Romanorum, vita et victoria!* Post quas laudes ab eodem pontifice more antiquorum principum adoratus est ac deinde, omisso Patricii nomine Imperator et Augustus appellatus.«

Ad quod jam accedit alterum Einardi testimonium in vita Karoli M., capite 28[1]):

»(Karolus) Romam veniens, propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, ecclesiae statum ibi totum hiemis tempus extraxit. Quo tempore Imperatoris et Augusti nomen accepit, quod primo in tantum aversatus est, ut affirmaret, se eo die, quamvis praecipua festivitas esset aecclesiam non intraturum, si pontificis consilium praescire potuisset. Invidiam tamen suscepti nominis, Romanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua is procul dubio longe praestantior erat, mittendo ad eos crebras legationes et in epistolis fratres eos appellando.«

Haec Einardi verba in quibus illius vitii, quod scilicet narrationem suam cum flosculis ex antiquorum imperatorum vitis suetonicis male exornare consuescit — exemplum nullum reperio, hanc fere rationem habent: Karolus, quum Decembri mense Romam venisset, notum facit et notum esse vult omnibus, quaenam sint causae cur Romam venerit idque maxime Leonis papae causam, de investigandis quae illi objiciebantur criminibus, concione vocata aperit[2]). Sic Einardi annales sub anno 800 et Laurissenses

[1]) v. ap. Pertzium Monn. Germ. hist. SS. II, p. 457 infra — 458.

[2]) Ann. Laurissi. 800. Monn. Germ. I, p. 188. Ann. Ein. ib. p. 189: »post septem vero dies rex concione vocata, cur Romam venisset, *omnibus patefecit,* in quibus vel maximum, vel difficillimum erat, quod

ejusdem anni itemque fontes fere omnes. Qua re ex optato absoluta, Leone sub fortissimi Karoli auspiciis spontaneo jurejurando purgato — et addere liceat in multo majore quam antea unquam auctoritate constituto — die natali Christi, anni 800 (vel secundum Einardi plurimorumque illius aevi annos computandi rationem anno 801) ecce ex inopinato Leo papa, inscio Karolo — »nihil minus suspicanti« ut bonus monachus Sangallensis[1]), Einardi verba secutus, dicit — immo talem rem, si per religionem licuisset, summopere detractanti, prae altari, ad quod statim post orationem adsisteret, coronam imperatoriam imposuit[2]). Postquam religiosissimus Karolus talem rem passus est, quum cunctus populus Romanus laudes imperatorias clamasset, more antiquorum principum[3]), Constantini scilicet, Theodosii, Justiniani reliquorum Augustorum, quos jam antecessores suos haberet, a Leone papa adoratus est. Quo facto, loco Patricii nominis, Imperatoris et Augusti sibi sumpsit. Poeta Saxo[4]) totus ex Einardo pendet,

---

primo inchoatum est, de investigandis videlicet quae pontifici obiiciebantur criminibus.«

[1]) Mon. Sang. de gestis K. M. l. I. 26. ap. Pertzium Monn. Germ. II, p. 743.

[2]) Equidem Einardi ubi inclinaverat — adsisteret ab eo quod Laurissensis annalista (ll. 801. I, p. 188) dicit: »quum ab oratione surgeret« non discrepare puto. Nam in annalistarum stilo »assistere« (sich hinstellen) idem valere potest ac »surgere« (sich erheben, wenn man gesessen hat).

[3]) »more antiquorum principum« idem fere valet atque illud, quod habet annalista Laurissensis, quum de transferendo Merovaeorum regno ad Karolos agat: »ut non conturbaretur ordo« (Ann. Lauriss. ll. I, p. 136) ad. ann. 749.

[4]) ap. Pertzium Monn. Tom. I, p. 259 (P. S. l. IV, v. 1—24).

immo plerumque Einardi verba prosa oratione expressa metrice tantum reddere solet. Sed ut est apud Otfridum auctoremque harmoniae evangelicae Saxonicae qui, quum evangelicam historiam secundum Vulgatam patrio sermone reddere tantum videantur, tamen quae ipsorum propria mens et opinio sit ostendunt, sic etiam ille Saxonicus scriptor, Ludovico Germaniae regi, Karolo Crasso, Arnulfo aequalis, propriam suam mentem aliquo modo prae se fert. Acclamationem enim Romanorum referens »Imperii *merito*,« inquit Romani *sceptra tenenti*[1]):

»Gloria, prosperitas, regnum, pax, vita triumphus!
Post laudes igitur dictas, et summus eundem
Praesul adoravit, sicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis, ac nomine dempto
Patricii, quo dictus erat prius, inde vocari
Augustus *meruit*, pius, imperii quoque princeps.«

Habes igitur integram, qualem Karolus ipse rem intelligi notamque fieri voluisse censendus est rei narrationem ut est praeter Einardum et fere apud annalistam Laurissensem poetamque Saxonem apud plurimos[2]), vel ejusdem vel paulo posterioris temporis Francorum scriptores et annalistas; Enhardus Fuldensis[3]) prorsus idem habet, annales Laurissenses minores[4]) annum aliter computant:

»Karlus Romam pergit; Leo papa .... in die natalis Domini ante missarum sollemnia in ecclesia sancti Petri coram sacratissimum corpus eius coronam imperialem capiti regis Leone pontifice imponente, ab ipso pontifice et ab omni populo Romano atque Francorum Augustus appellatur, anno incarnationis dominicae 800.« Cf. Ann. Quedlinb. 801. ll. t. III, p. 40: »in

---

1) ll. libro IV, vv. 18—24. — 2) v. notas 1 et 3. — 3) Enhardi Fuldens. ann. 801. ll. I, p. 352. — 4) Ann. Lauriss. min. 800. ll. I, p. 120.

die natalis Domini ad missam Karolus, imposita sibi a Leone papa corona, imperator et Augustus a Romanis appellatus est, patricii nomine dempto.«

Ceterum hi qui totam rem tribus verbis absolvunt multo difficilius quam qui rem latius persequuntur per singula auctorum genera distribuuntur.

In hoc primo igitur narrationis genere illa coronatio quasi divino nutu facta describitur, quod optime cum eo convenit, quod et Karolus et Ludovicus Pius »Dei omnipotentis inspiratione se regnare«[1]), »divina providentia constitutos esse[2])« dicunt. Quum autem per Dei gratiam coronatio ex Leone papa pendere videatur, haec rei narratio simul ecclesiasticum papaleque studium significat. Quod optime cum intima Karoli et pontificis in hac re conjunctione convenit. Aliunde etiam notum est, Einardi stilum jam in retractanda priore annalium plebeiorum parte colorem quendam ecclesiasticum ducere[3]). Alia etiam ratione Karoli voluntati et conciliis bene respondent. Qui enim Dei nutu et divina largiente clementia se coronatum esse diceret, qui Francos suos ex hoc divino ordine magna et multa in eo sacramento quod omnes ad duodecimum usque annum mox jurare debebant contineri edocere vellet, is — ut secundum Einardum est[4]) hoc officium et hoc nomen sibi commissum esse sine omni proprio studio, immo vel divinae ordinationi obedienti, nulla laesi contra graecum imperatorem juris notione, certe omnibus innotescere volebat. Quod autem in »vita« maxime invitum Karolum, et

[1]) Capit. Attiniac. 822. ap. Pertzium legg. I. — [2]) Capit. Aquisgr. ann. 825. c. 2. ap. Pertzium ll. legg. t. I, p. 243. — [3]) v. Rankium: Zur Kritik fränkisch-deutscher Reichannalisten. l. s. c. p. 418. — [4]) v. Capit. magn. Aquisgranense ad. ann. 802. cap. 2. ap. Pertzium ll. legg. t. I, p. 92,

qui Graecorum imperatorum invidiam patientia ferat depictum legimus[1]), in ejusdem auctoris annalibus non legimus, ita intelligendum esse censeo, ut annales ad definitum tantum lectorum numerum pertinuisse videantur, vita majori studio et ad magis popularem usum conscripta sit. Bonus Sangallensis monachus Einardi verbis nixus Karolum timuisse dicit[2]) »ne Graeci majore succensi invidia aliquid incommodi Francorum regno machinaturi sint.« A quo timore Karolus certe procul abfuit.

Secundo jam loco ponamus Anastasium, vel quisquis est qui sub hoc nomine vitam Leonis III scripsit. Habet autem haec[3]):

»Post haec adveniente die natali Domini nostri Jesu Christi in jam dicta Basilica Beati Petri Apostoli omnes iterum congregati sunt[4]), et honorabilis almificus Pontifex manibus suis propriis pretiosissima corona coronavit eum. Tunc universi fideles Romani videntes tantam defensionem et dilectionem quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam et eius Vicarium habuit unanimiter altisona (voce) Dei nutu atque Beati Petri Clavigeri regni Coelorum exclamaverunt: *Karolo piissimo Augusto, a Deo coronato, magno pacifico Imperatori vita et victoria!* Ante sacram confessionem Beati Petri Apostoli plures Sanctos invocantes, tres dictum est et ab omnibus constitutus est Imperator Romanorum. Illico Sanctissimus Antistes, et Pontifex unxit Oleo Sancto Karolum, et Excellentissimum eius filium Regem in ipso die natalis Domini nostri Jesu Christi et missa

1) Ein. v. Kar. M. c. 28. cf. cap. 16. ll.

2) Mon. Sangall. de gestis Karoli M. l. I, c. 26. ll. II, p. 743.

3) V. ap. Muratorium SS. RR. Itall. III, p. 199.

4) *omnes — congregati sunt.* Scil. omnes qui aderant, quum de criminibus quae Leone III imposita erant ageretur: »omnes generaliter archiepiscopi seu episcopi et abbates et omnes Franci, qui in servitio ejusdem magni regis (Karoli) fuerunt et cuncti Romani.«

4*

peracta post celebrationem missarum obtulit ipse serenissimus Dominus Imperator mensam argenteam pensan. — lib.« cet.

Quae quamquam primo aspectu quidem fortasse ab Einardi testimonio non admodum discrepare videntur, tamen studium nimis ecclesiasticum et quod cum pontificibus faciat, clare perspici potest. Primo enim id animadvertas, quum Einardus et Germanorum scriptores qui eum sequuntur fere omnes »more antiquorum principum« adoratum esse Karolum, »merito Romani imperii sceptra tenuisse« dicant, hujusmodi apud papalem auctorem reperi nullum. Secundum Einardum — licet equidem rem Karolo minime ingratam fuisse existimem — tamen secundum Einardum Karolus papae et ecclesiae Romanae populoque Romano gratum et officiosum se praebet, quum honori et dignitati imperatoriae, magnae sane et praeclarae, sed quae non vacet ab invidia vel cujusvis generis religionibus, se non substrahat, sed summum defendendae ecclesiae sedisque Romanae ministerium nova quasi sponsione suscipiat. Dein quum Anastasius in coacervandis titulis, in describendis iis quae ad exteriorem modum et caerimonias »missarum sollemnia« ad »Sanctorum invocationem« — Francis non ita acceptam — ad unctionem ad dona oblata pertinent, nimis copiosus et verbosus appareat, tamen Karolum adoratum esse — id quod paulo post Romanae ecclesiae usui contrarium et molestum videbatur — non narrat.

Ceterum de auctore vitae Leonis III Ciampinii judicium, non mite illud quidem, sed minime injustum sequendum esse censeo. Vita Leonis III, ait ille[1]), stilo rudi maleque disposito hiulcoque constat ac longe ab aliis diverso pluri-

[1]) apud Murat. II. p. 43 sqq.: Johannis Ciampinii examen libri pontificalis.

misque insulsis digressionibus pleno, ad nauseam usque repetitis epithetis gaudet: »Praecipuus praesul« »magnus et praelarus pontifex« »Beati Petri clavigeri regni Coelorum« »a Deo protectus et praeclarus pontifex« »qui beatissimus pontifex.« Tandem in fine gestorum habetur phrasis: »ex hac luce substractus ad aeternam migravit requiem.« Quae super superiori Hadriani I vita concordat.

Emanuelis a Schelestrate[1]) in eodem opere examinando, Leonis III et Stephani vitas ab auctore ejusdem de quo agit tempore aequali conscriptas et quartum quoddam additamentum ad primam, quam statuit, libri pontificalis partem esse contendit. Praeterea ex auctoris loquendi modo facile intelligitur, inquit, auctorem hujus vitae non modo alium esse a priori sed dubitari etiam posse, num Romae scripserit. — Fortasse adscriptus fuit ecclesiae Sti Pauli extra Urbem, quam ubique vocat Basilicam Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli.

Subjungere liceat huic vitae Leonis III scriptori testimonium quoddam quod fontis loco haberi potest. In diplomate enim Leonis III, ipsa coronationis die dato, quod Jaffaeus in regestorum pontificum corpore exhibet, ab amico Bethmanno sibi datum[2]) — in hoc igitur diplomate, quo Leo papa monasterium Centulense sub unius sedis Romanae potestatem redigit, in fine ita est:

> »in praesentia gloriosi atque excellentissimi filii nostri Karoli, quem auctore Deo in defensionem et provectum sanctae universalis ecclesiae Augustum hodie sacravimus« [scil. Leo papa][3]).

---

[1]) Vide Emanuelis a Schelestrate examen libri pontificalis cap. III, ap. Murat. ll. p. 26—27. De Anastasio vide etiam Baehrium in l. s. c. p. 266—271. — [2]) v. Regesta pontt. Romm. s. n. 1913. p. 217 infra et 218. — [3]) Ex Angilberti historia fundat. S. Richarii.

Hoc jam loco aptissime inseri videtur ex quibus fere singulis fontium verbis sancta et paene ecclesiastica Karolorum imperii natura designetur. Apud Angilbertum igitur (loco modo laudato) ita est: »Karolum — Augustum *sacravimus*« (scil. Leo papa); Erchanbertus[1]) in breviario regum Francorum sic habet: »quem (Karlum) Leo papa ad imperatorem — *consecravit*; annales Weissenburgenses[2]): »Domnus Karolus Romae imperator *ordinatus est*;« Anskarius in vita Sti Willehadi[3]): »Quem (Karolum) per manus reverentissimi Leonis apostolici *consecratum* — Europa suscepit;« annales Sti Amandi[4]): »Karlum *benedixit* Leo ad imperatorem;« annalista Lauresh.[5]): »Karolus, ait, nomen imperatoris *cum consecratione* suscepit.« Quae his verbis exprimuntur, alibi per unctionem et adorationem designantur.

Sed etiamsi ex Einardi et pontificalis auctoris testimoniis quid vel Karolus vel papa in hac re voluerint intelligimus, tamen multum abest, ut haec testimonia sufficiant totiusque rei, quomode se habeat et gesta sit rationem patefaciant. Haudquaquam enim quo quis rei magis particeps et consors est, eo integrior testis existit. Immo eam rem, de qua per mille annorum spatium imperatores papae, docti indocti, clerici laici, Romanae ecclesiae addicti evangelici, quomodo intelligenda sit disceptaverunt et jam disceptaturi sunt, de qua vel inter Karolum et Leonem ipsos nonnulla, quae minus constarent, remansisse videntur, eam igitur rem, si his testimoniis satis enucleatam et probatam satisque liquere contenderem, sane et tot magnorum doctis-

---

1) Erchanb. breviar. pars II. Monn. Germ. SS. II, p. 328. — 2) Ann. Weissenb. 801. ll. I, p. 111. — 3) Anskarius, v. Willehadi cap. 5. ll. II, p. 381. — 4) Ann. Sti Am. 800. ll. I, p. 14. — 5) Ann. Lauresh. 801. ll. I, p. 38.

simorumque virorum contentiones, juvenili quadam temeritate pro nihilo haberem, et mihi ipsi, quominus ad veritatem propius accederem obstruerem. Quod cum minime velim, non quae postea, Teutonici regni vel imperii tempore, inter duas vel plures partes a juris peritis, clericis et deinde inter divisas ecclesias de hac re disputata sunt enumerare et recensere mihi animo est, sed ea tantum, quae decursu Karolorum temporis praeter haec, quae publica testimonia nominanda censuimus, vel a Francis vel ab alienis, maxime Graecis, hujus rei fontes jam habendi sunt consulere atque digerere.

Quum autem hoc imperium ad universum orbem terrarum aliquo modo pertineat, studio et ira omnino liberos testes non facile expectabis. Tamen qui adhuc restant minime inter se prorsus similes sed trifarii fere generis sunt. Primum Francicorum nonnullorum maxime Teutonici originis scriptorum genus est, in quo proprium quoddam judicium exhibetur. Pendent autem ex annalibus Laureshamensibus. Deinde mixtum genus est eorum annalistarum, qui sine proprio judicio ex diversis fontibus hauserunt, ut chronicon Moissiacense. Tertium Graecorum, sive Theophanis genus est; cui nonnulla testimonia accedunt, quae aliquid proprii habent.

Primi igitur Laureshamenses annales sunt respiciendi, qui in ea parte quae est de rebus a Karolo M. gestis, per singulos annos a diversis auctoribus compositi, itaque sine dubio aequales habendi sunt[1]). Referunt igitur ad annum 801 haec, quae pro dignitate integra inserere liceat[2]):

[1]) v. Pertzium ll. T. I, p. 19. praefat. ad ann. Laureshamenses cett. cf. Wattenbachium l. s c. p. 107 et Baehrium ll. p. 160.

[2]) V. Monn. Germ. hist. I, p. 38.

»Et quia iam tunc cessabat a parte Graecorum nomen imperatoris et femineum imperium apud se abebant, tunc visum est ipso apostolico Leoni et universis sanctis patribus qui in ipso concilio aderant, seu reliquo christiano populo, ut ipsum Karolum regem Franchorum imperatorem nominare debuissent, qui ipsam Romam tenebat, ubi semper Caesaras sedere soliti erant, seu reliquas sedes quas ipse per Italiam seu Galliam nec non et Germaniam tenebat, quia Deus omnipotens has omnes sedes in eius potestate concessit, ideo iustum eis videbatur, ut ipse cum Dei adiutorio et universo christiano populo petente ipsum nomen aberet. Quorum petitionem ipse rex Karolus denegare noluit, sed cum omni humilitate subiectus Deo et petitione sacerdotum et universi christiani populi in ipsa nativitate domini nostri Iesu Christi ipsum nomen imperatoris cum consecratione domni Leonis papae suscepit.«

Quae narratio quid maxime habeat proprii, omnes facile sentient, nempe quod identidem dictum et affirmatum est, jure Karolum imperatorem esse coronatum, Graecorum enim imperium jam antea omnino desiisse, potestatem Karoli eam jam factam fuisse ut ipse dignus videretur qui ipsum nomen imperatoris summumque apud christianos dignitatis et potentiae fastigium teneret. Hunc annalistam, qui res monasterii sui cum imperii rebus diligenter adnotat, dicens sed non nominans, jam Leibnitius noster, in magno suo annalium opere[1]) »non malum auctorem gestorum« apppellat, quem plerumque Moissiacensis chronographus ut jam sensit magnus ille vir, exscripsit.

Idem jam sentit magnus Anskarius, qui in vita Willehadi, Laurishamensis annalistae verbis nixus[2]):

---

[1]) G. F. Leibnitii Ann. imp. occid. Brunsvic. ed. Pertzius t. I, p. 210.

[2]) De Anskarii (ca. ann. 801 nati ann. 865 mortui) scriptts v. Baehrium ll. p. Wattenb. ll. p. 134 locum s. laudatum v. ap. Pertzium ll. II, p. 381 (vita Willehadi cap. 5).

»Quem (scil. Karolum) postea«, ait, »per manus reverentissimi Leonis apostolici imperatorem Romae consecratum anno regni eius 34. catholica Europa consistens Christi venerata pariter et gratulabunda suscepit ecclesia. Si quidem imperialis potestas, quae post Constantinum piissimum Augustum apud Graecos in Constantinopolitana hactenus regnaverat sede, cum deficientibus iam inibi viris regalis prosapiae feminea magis dicione res administraretur publica, temporibus illius per electionem Romani populi in maximo episcoporum aliorumque Dei servorum concilio, ad Francorum translatum est dominium; quoniam ipse et eandem quae caput imperii fuerat, et multas alias tunc in orbe videbatur tenere provincias; ob quod et iure caesarea dignus esset appellatione.«

Anskarii notae, quas passim, occasione data, adspergit magno quidem usui sunt, sed primus illius de translato imperio erroris, qui posterioribus saeculis percrebuit, vestigia habet; de quo uberrime in Bellarminii, celebris illius Loyolitae »de translatione imperii« libris disputatum est[1]). Haec translationis notio, licet falsa sit, quum Graecis imperatoribus, quamvis aegre ferrent imperii in occidente restitutionem, tamen nihil certe eriperetur, et quum non satis constet, quidnam translatum sit, haec falsa opinio facile apud populum oriri potuit, quum, quod maxime in libris Karolinis factum vides, Karolus et occidentales populi Graecos imperatoresque orientales quasi in multis erroribus et haeresibus mersos imperiali dignitate indignos haberent eamque divino nutu ad se Francosque esse translatam crederent, cetera quae Graecorum imperatorum propria viderentur, integra et intacta relinquerent.

Apud annalistam Laurissensem igitur et Anskarium res

---

[1]) Bellarminii de transl. imp. Rom. a Graecis ad Francos libri III. Antverpiae 1589. 8.

ita exponitur: Graecorum imperii solium imperatore carebat, qui ecclesiam christianam regere posset; femina regnabat, quae ex christianae religionis instituto propter infirmitatem ecclesiae praeesse non deberet. Qua de causa in ipso concilio, quod modo anno 801 praesidente Karolo habebatur, Leo papa et omnes qui adfuerunt et clerici et laici, jure Karolum, regem Francorum imperatorem esse coronandum statuunt. Juvabat jam hoc consilium, quod Deus ipsam Romam aliasque sedes imperatorias magnamque partem occidentalis imperii et igitur ipsam ecclesiam populumque Christi, Karolo regendum commisit. Quare jure ab illa quae a Constantinopoli imminebat pernicie vindex videbatur. His rationibus ductus Karolus coronari se et imperatorem Romanum nominari jussit, fidelibus, clero universoque christiano populo gratificaturus.

Ita annalista Laureshamensis et Anskarius. Praeterea huc referri jam possunt:

Ann. Sang. p. II genuina s. a. 701[1]): »hoc anno domnus rex imperialem sedem accepit.«

Ann. Colon. 801[2]): »Karlus a Romanis apellatus est Augustus.«

Ann. Guelferbyt. p. altera s. a. 800[3]): »Karolus plaidavit in Magontia; inde perrexit in Italia, pervenit Romam; ibi imperator factus est.«

Ann. Laubac. 801[4]): »domnus Karlus imperator factus est.«

Ann. Weissenburg. (maj.) 801 (800)[5]): »Karolus a Romanis augustus appellatus est.«

Idem *annales Iuvavenses minores* a. a. 801[6]).

Idem *annales Sti. Emmerami maiores*[7]).

---

[1]) ap. Pertzium. Monn. t. I, p. 63. — [2]) ll. t. I, p. 97. — [3]) ll. t. I, p. 45. — [4]) ll. t. I, p. 15. — [5]) ll. III, p. 50. — [6]) ll. t. I, p. 89. — [7]) ll. t. I, p. 93.

Restat jam ex Francorum Karolorum aevi scriptoribus qui de restituto imperio referunt, chronicon Moissiacense, rudis indigestaque moles ex diversis auctoribus et hac in re maxime ex annalibus Laureshamensibus (quod jam Leibnitius vidit[1]) et Einardo conscripta. Sed licet critici omnes in eo fere conveniant, quod hunc chronicistam judicio omnino carere et Bedam, annalistam Laureshamensem, alios scriptores diligenter excribere dicant, tamen tantum abest ut quae narrat pro nihilo et nullius pretii habeamus, ut valde utile videatur componere et inter se comparare quae hic auctor ex diversis fontibus et inter se non concordantibus religiose in unum collegit. Ceterum hoc chronicon duobus codicibus, Moissiacensi et Rivipullensi, non paulum inter se discrepantibus exstat. Cod. Rivipull. copiosiorem narrationem exhibet, ita ut paene omnia quae apud ceteros testes repériuntur collecta habeat. Monachum, vel certe hominem in ecclesiasticis optime versatum et Karolo posteriorem ex stilo facile agnoscis. Irenam enim ut Athalia in libro regum fecisse legatur, nomen imperii usurpasse ei videtur dicitque Karolum »ne pagani insultarent christianis, si imperatoris nomen apud christianos cessasset« adjuvante Deo electum eumque omni humilitate Deo subjectum et petentibus sacerdotibus esse coronatum. Sed id maxime advertendum est, quod, dum in cod. Moissiac. res fere ut est apud annalistam Lauresh. narratur (scil. e concilii decreto, ratione habita et feminei apud Byzantinos imperii et Karoli potentiae coronatum

[1]) (Leibnitii judicium v. pag. 56 c. nota 1) de chronico Moissiacensi v. Pertzii praefat. ad chron. M. ll. SS. I, p. 282—283. Rankium (Zur Krit. d. Reichsannal. l. s. c. p. 425). Wattenb. ll. p. 118. Baehrium ll. p. 166 sqq.

eum esse) Rivipullensis, ecclesiastico ut videtur studio ductus, primo nihil nec de illo concilio nec de justis coronationis causis dicit, postea vero, quasi rem excusare velit, divino nutu papam eum coronasse atque Francos et Romanos, qui adessent omnes, ei acclamasse addit[1]).

Cod. Moissiac. ann. Lauresh. fere ad verbum exscriptos exhibet, Rivipull. annalibus Einardi innititur, paucis tantum verbis adspersis, quae ecclesiasticum et hierarchicum studium ostendunt. Deinde auctor codicis Rivipull. chronicistam Moissiac. — non ipsos ann. Lauresh. — exscribit, cum in iis quae de orientali imperio, regnante Irena exstincto dicuntur paulo copiosior sit. Quae ex chron. Moissiac. extracta sunt mira quadam neglegentia cum Einardi narratione conjuncta sunt dissolutaque et claudicantia illam narrationem sequuntur. Certe igitur simul apparet, auctorem cod. Rivipull. chronicistae Moissiacensi posteriorem esse. Postremo quae in utroque codice in fine adduntur (Magnificatus autem est imp. Karolus cet.) auctorem Karolo M. posteriorem redolere videntur.

Hoc loco etiam, quia fere omnes nullum proprium judicium afferunt, breviorum Francorum annalistarum scriptorumque complures inserere libet, qui quidem ex Karolorum tempore exstant.

Ann. Iuvav. maj. ad ann. 800[2]): »Karolus imperium suscepit Romanum in Roma, et a Leone secundo iuniore consecratur imperator die nativitatis Domini.«

Ann. Sti. Amandi 800 p. II[3]): »ille (Karlus) perrexit ad Ro-

1) V. ap. Pertzium II. t. I, p. 305—306. Longiorem hunc locum omisi, quia Pertzii monumenta omnibus ad manus sunt.

2) V. ap. Pertzium II. t. I, p. 57. cf. Ann. Ausciensis manu saeculi novi exarati 801 (800) »Dominus Karolus imperator factus est« II. III, p. 171.

3) ap. Pertzium II. I, p. 14.

mam, et pacificavit Romanos et papam Leonem; et Leo benedixit eum ad imperatorem.«

Ann. Sang. breves 801[1]): »Karolus ad imperatorem elevatur ad Roma« ab aliena manu adscriptum est.

Ann. Weissenb. 801[2]): »Domnus Karolus Romae imperator ordinatus est.«

Ann. Flaviniac.[3]): »Karolus imperator 6. feria Kal. Ian. factus est.«

Erchanberti breviar. p. II[4]): »Quem (Karlum) Leo papa ad imperatorem, trigesimo anno regni sui consecravit.«

Parvi tantum momenti, praesertim quum auctoris fides et integritas a suspicione minime remota sit[5]), illud est, quod per occasionem is qui chronica Casinensium conscripsit, quemque Muratorius Anastasium seniorem vocat, ut ab eo, qui vitas pontificum collegisse creditur distinguat, de translato imperio dicit:

»Iste« ait »qui propter virtutum insignia Magnus dictus est (scil. Karolus) et a Nicephoro imperatore totum Occidentem cum corona et consulatu suscepit« cet.

Jure Baehrius l. c. auctorem hujus chronici, valde dissoluto et exili stilo conscripti nec seniorem nec juniorem quendam Anastasium esse, sed circa annum millesimum vixisse censet. Itaque nihil fere ad rem facit. Ceterum huic auctori — si tamen ullo modo audiendus est — id

---

1) ll. t. I, p. 63. cf. Ann. Monasteriens. 801. ll. III, p. 154.

2) ll. t. I, p. 111. — 3) ll. t. III, p. 151. — 4) ll. t. II, p. 328.

5) V. ap. Murator. SS. RR. Itall. II, I, 345—370. v. etiam ap. Pertzium SS. III, 222; v. Baehrium ll. p. 187—188. Muratorius in praefat. ad chron. Casins. scriptorem aliquatenus contra Mabillionium, qui ejus fidem maxime in suspicionem vocavit, defendere studet; »attamen« ait »qualiscunque sit hic foetus, certe antiquus.« ll. p. 349. Consulto et studio, ut existimo, nonnulli scriptores, sub Benevantanorum vel Graecorum auctoritate constituti, tantam rem omnino silent.

animo obversabatur, quod primus Nicephorus inter Constantinopolitanos imperatores fuit, sicut postea Michael et Leo fuerunt, qui Karoli imperatoris amicitiam expeteret »fratremque eum in imperio« nominaret[1]). Hac quidem ratione sensus non omnino spernendus Pseudo-Anastasii illo loco subest.

Finem jam enumerandis et recensendis de restituto occidentali imperii testimoniis, quae quidem a Karolis fere aequalibus praeter Theophanem et Graecos exstant impositurus essem, jamque paucà de eorum omnium inter se ratione adderem, nisi unus jam auctor, si non coronationi ipsi, tamen Karolis fere aequalis superesset, qui antecedentium generum nulli adnumerandus est. Is cum graecis testibus id habet commune, quod a Francorum imperio liberius et sub Graecci imperii quadam auctoritate scripsisse videtur. Est autem Joannes, chronici episcoporum sanctae Neapolitanae ecclesiae, qui ecclesiae Sti Januarii, in Neapolitana urbe sitae diaconus erat et ultimis saeculi noni decenniis — post annum 872, quo usque episcoporum historiam deduxit — vixisse et opus suum conscripsisse intelligitur. Licet hoc opus valde rudi sermone confectum sit et Italorum, per Sarracenos et Normannos tunc valde infestinatorum barbariem satis aperte ostendat, tamen non pauca habet, quae ad historiam illius aevi, bonis auctoribus valde destituti, multum valeant.

Hic quum de rebus ad orientale imperium spectantibus, imperantibus Irena et Nicephoro gestis agat:

---

[1]) v. Einardi v. Karoli M. cap. 28. ll. II, p. 458. Praeterea anno 811 Nicephorus, pace et foedere cum Kar. M. facto, primus a Graecis imperatoribus eum agnovit. v. Ein. ann. a. a. 811 ap. P. ll.

»Sub eodem quoque tempore«, ait[1]), »conspirantes viri iniqui contra Leonem tertium Romanae sedis antistitem, comprehenderunt eum. Cui cum vellent oculos eruere, sicut assolet fieri, unus ei oculus paululum est laesus. Hic autem fugiens ad Karolum regem, spopondit ei, si de suis illum defenderet inimicis, augustali eum diademate coronaret. Karolus autem optatam audiens promissionem, e vestigio cum magno apparatu illum in suam revocavit Sedem. At ille statim Karolum coronavit et dignam ultionem in suos exercuit inimicos.«

Quid de hoc teste censebimus? quomodo ei nec plus nec minus quam deceat tribuemus? Hoc certe concedi debet, Joannem illum, qui etiam in caeteris paullo jejuniori quidem, sed simplici et inaffectato stilo utitur in hac re, quae tantopere ex partium studiis et ex uniuscujusque de imperio sive de Francorum rege, sive de pontificibus Romanis opinionibus pendet, quum ipse sub ancipiti auctoritate liberiorique ab utroque imperio conditione et paulo post rem actam viveret et scriberet, partium studiis minus obnoxium et obstrictum fuisse. Itaque rerum quas enarrat ab hac quidem parte integrior testis habendus est.

Joannes igitur minime impetu quodam divino, sed temporibus et necessitate et quodam inter Leonem papam et Karolum regem pacto illum honorem et dignitatem ad Karolum se non substrahentem sed optantem delatum esse refert. Quaecunque de Joannis tenuitate dicuntur, summi pretii equidem hoc testimonium habendum esse censeo, sed maxime eo, quod et ex partium studio et ex auctoritate tam papae quam imperatoris minus quam ceteri auctores fere omnes pendere et miracula minus captare videtur.

Postremo jam videamus quae apud Graecos vel

---

1) V. ap. Murat. SS. RR. Itall. t. I, p. II, p. 312. cf. Wattenb. ll. p. 158; Baehrium ll. 271—272.

Byzantinos de hac re inveniantur testimonia. Qui quum caetera in rebus occidentalibus adnotandis parcissimi sint, tamen rem quae ad ipsos aliquo modo pertinebat silere non potuerunt. Primum inter eos locum haud dubie obtinet Theophanes minimeque parvipendendus est. Est enim restitutioni occidentali imperii Karoloque aequalis et opera ejus non solum a posterioribus Graecorum scriptoribus, Cedreno, Zonara, Constantino Manasse aliis exscripta et extracta sunt, sed etiam apud occidentales plurimum valuerunt. Anastasius bibliothecarius complura illius opera integra in latinam linguam transtulit et, quod nuperrime Bonnellius[1]) in commentatione de Francorum majoribus domus argute demonstravit, ipse Sigibertus Gemblacensis, undecimi et duodecimi saeculi auctor integrum locum qui est de Francorum regibus ex Theophane latine reddidit. Haec autem verba Theophanis sunt[2]).

».... γενομένης τῆς Ῥώμης ἀπ' ἐκείνου τοῦ καιροῦ ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Φράγγων. ὁ δὲ (Λέων) τὸν Κάρουλον ἀμειβόμενος, ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων, ἐν τῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου νάῳ Χρίσας ἐλαίῳ ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν, καὶ περιβαλὼν ἐσθῆτα καὶ στέφος, μηνὶ Δεκεμβρίῳ κέ, ἰνδικτιῶνι ἐννάτῃ.«

Deinde ibidem paulo post[3]):

»Τούτῳ τῷ ἔτει, μηνὶ Δεκεμβρίῳ κέ, ἰνδικτιῶνι θ', Κάρουλος ὁ τῶν Φράγγων ῥῆξ ἐςέφθη ὑπὸ Λέοντος τοῦ πάπα.«

---

1) V. dissert. inaug. E. Bonnellii Berol. anno 1858 habitam p. 37. Sed vide ne Gemblacensis scriptoris illud ex Anastasii quadam versione sumptum appareat. Theoph. ll. p. 617. Sigib. Gemblac. ap. P. VIII. 325.

2) v. Theoph. chronogr. ed. Bonnens. (Niebuhrio-Bekkerana) ex recensione Classenii vol. I, p. 732—33. Kar. Annib. Fabrottus (ll. t. II, p. 3) de Theophane judicat: »Inter Byzantinos Theophanes, historiae ecclesiasticae historiographus non minore«, inquit, »fide quam diligentia ea quae tam ad rem Romanam, quam Byzantinam pertinent exequitur. — Hunc Anastasius paene totum in Latinam linguam convertit.«

3) ll. p. 136.

Theophanes non ipse quidem oculatus testis erat, sed per celebre vividumque Graecorum cum Italia et Romanis commercium, per scholam Graecorum legatosque imperatoris[1]), ex certis fidisque auctoribus de hac re certa comperire ei licebat.

Attendendum est id, quod Theophanes et qui eum sequuntur Karolum a capite usque ad pedes a Leone papa unctum esse referunt. Haec caerimonia in posteriori medii aevi parte, quum pontificum Romanorum potentia et auctoritas prae imperatorum eniteret et praefulgeret, in pontificibus coronandis tantum adhibebatur, quum imperatorum et reliquorum principum brachia tantum sacro unguento oblinerentur. Qua re mystice ecclesiae et rerum divinarum vicariorumque Christi spiritalium auctoritatem et sanctitatem saeculari principum multo majorem et praestantiorem esse significari volebant[2]). Sed quemadmodum Karolorum temporibus vere imperator Christianorum orbis summum fastigium habebatur, ita Karolus, Theophane teste, a capite, corporis humani summa parte, sacro ungento oblinebatur. Caeterum quod Theophanes exteriorem coronationis modum et ritus copiosius describit in Byzantino scriptore non miraberis. Theophanes, ut supra vidimus, cum coronatione Karoli demum urbem Romam Francorum esse factam eamque ab orientali imperio defecisse dicit. (*γενομένης τῆς Ῥώμης ἀπ' ἐκείνου τοῦ καιροῦ ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Φράγγων*). Zonaras in coronatione Karoli narranda brevior est:

---

[1]) de Graecorum aliisque externarum gentium scholis, quae illis temporibus Romae degebant vide e. g. Pagium ad ann. Baronii s. a. 775.

[2]) v. Thom. Aquin. de reg. cap. un. de sacra unctione I, 15.

»῾Ο δὲ τῶν Φράγγων ἀρχηγὸς, ait ille[1]), Κάρουλος βασιλεὺς Ῥωμαίων παρὰ τοῦ Πάπα Λέοντος ἀναγορευθεὶς« κτλ.

Haec fere sunt quae de tanta re ex Karolorum aevo et apud Occidentales et Orientales ex diversis fontibus exstant testimonia et quum in animum non induxissem, omnia quae posterioris aevi scriptores novem vel decem saeculorum decursu de hac re vel cogitaverint vel scripserint recensere et digerere — materia quamvis digna quae inquiratur — nullum jam testimonium afferendum erat.

Sed cum fortasse utilitate non prorsus careat, videre quomodo breviores Theophanis et aliorum narrationes postea exornatae et amplificatae quoque deductae sint, Constantini Manassis pedestriorem poesin, quae a prosa oratione fere metro tantum differt, postremo hic proferamus et in hoc uno ultra metam quam posuimus egrediamur. Discimus enim ex illo quomodo Graeci de occidentali imperio senserint.

Habet autem Constantinus in breviario historiae metrice composito inde a versu 4491[2]).

» Τότε καὶ Ῥώμῃ τῇ λαμπρᾷ τῇ γηραλέᾳ Ῥώμῃ
λόγου καὶ μνήμης ἄξιον πρᾶγμα τι συνηνέχθη.
ἦν ἁγιστεύων ἐν αὐτῇ τὰς ἱερὰς θυσίας
τῶν ἄλλων τε πρωτόαρχος ἱεροπόλων Λέων·
Πάπας κατονομάζεται τῇ τῶν Ῥωμαίων γλώσσῃ·
Τούτῳ πικρῶς βασκήσαντες ἄνδρες τινὲς ἐκ Ῥώμης
οἱ προσγενεῖς Ἀδριανῷ τῷ πρὸ βραχέος πάπᾳ,
καὶ στάσεως κλυδώνιον κυμάναντες βαρύθρουν,
τοῦ θρόνου καὶ τῆς πόλεως ἐλαύνουσι φυγάδα.
ὁ δὲ σημάνας ἐν γραφῇ ταῦτα τῇ βασιλίδι

---

[1]) Zonarae operum tom. III. ex rec. Pinderi exspectandus in edit. Bonnensi adhuc desideratur.

[2]) Const. Mon. brev. hist. ed. Bonnens. ex recens. Bekkeri II. p. 192—194. v. 4491—4524.

ἐπικουρίας τε τεύχειν ἐκ ταύτης ἱκετεύσας,
ὡς ἔγνω πάντα μάταια τεχνώμενος καὶ πράττων
καὶ γράφειν τὸ λεγόμενον ἐπιχειρῶν εἰς ὕδωρ,
καὶ πανταχόθεν ἀπογνοὺς προςφεύγει τῷ Καρούλῳ
(ἦν δὲ τῶν Φράγγων φύλαρχος ὁ Κάρουλος ἐκεῖνος·
ῥῆγας τοὺς σφῶν κατάρχοντας οἴδασι Φράγγοι λέγειν)
καὶ δεῖται τούτου τῆς χειρὸς ὡς μεγαλοδυνάμου,
ὡς ἐπαρκέσειεν αὐτῷ καὶ τῶν ἀδικούντων.
δέχεται τοῦτον Κάρουλος (ἦν γὰρ παπποπατρόθεν
ὑπὸ Χριστοῦ καλούμενος καὶ σέβων Χριστοῦ νόμους),
αἰδεῖται λιταζόμενον τὸν ἱεροθυτοῦντα,
δίδωσι τούτῳ σύμμαχον μεγασθενῆ παλάμην,
καὶ πάλιν ἐγκαθίστησι τῇ πόλει καὶ τῷ θρόνῳ.
Ἐντεῦθεν ἀμειβόμενος τὸν Κάρουλον ὁ Λέων
ἀναγορεύει κράτορα τῆς παλαιτέρας Ῥώμης,
καὶ στέφος περιτίθησιν ὡς οἱ Ῥωμαίων νόμοι.
οὐ μὴν ἀλλὰ χρησάμενος καὶ νόμοις Ἰουδαίων
ἐκ κεφαλῆς μέχρι ποδῶν ἐλαίῳ τοῦτον χρίει,
οὐκ οἶδα τίσι λογισμοῖς ἢ ποίαις ἐπινοίαις.
οὕτως ὁ πρώην σύνδεσμος τῶν πόλεων ἐῤῥάγη·
οὕτω μητρὸς καὶ θυγατρὸς μέσον ἐπέπτη σπάθη,
διχάζουσα καὶ τέμνουσα μετὰ θυμοῦ ῥομφαίας
νεᾶνιν τὴν εὐπρόσωπον, τὴν νεωτέραν Ῥώμην,
ἐκ τῆς ῥυσσῆς καὶ παλαιᾶς καὶ τριπεμπέλου Ῥώμης.«

Jam quae sit nostra in digerendis et recensendis tam variis tamque diversis et saepius contrariis testimoniorum generibus sententia, paucis comprehendendum erit. Quum autem tot paene diversas opiniones et narrationes quot ipsos testes esse videremus, minime in eo nobis elaborandum esse censuimus, ut ea omnia quae de hac re inter scriptores discreparent et sibi repugnarent tolleremus, aut uni vel paucis tantum fidem haberemus aut, quum temere alia hinc inde sumeremus, hoc vel illud omitteremus nostram magis opinionem, quam auctorum fidem exhiberemus, sed potius ut cujusque scriptoris propriam rationem et indolem cognosceremus et suum cuique jus tribueremus. Quod

qua lege fiat restat ut paucis exponamus. Duplex enim in indaganda rerum veritate historici ratio et munus videtur: ut vel adhibitis consultisque quam religiosissime et diligentissime historiae fontibus, quomodo res ipsae gestae sint cognoscere et eruere studeat, et singulorum auctorum secundum unius cujusque vim et fidem inita ratione, divinatione quadam vera a falsis secernat, nonnunquam etiam — quamquam id difficillimum esse nec saepe licere videtur — hoc vel illud secundum verisimilitudinem suppleat, ut denique ex his omnibus rem quomodo gesta sit legenti ante oculos ponat. Hanc quidem proprie historici rationem esse statuendam puto, quam in hoc opusculo pro parva mea opella ut sequerer enixus sum. In ejusmodi narratione etiam de fontium paucitate, de auctorum diversitatibus, de diversis eorum studiis, quae veritatem obscurasse videantur conqueri quodam jure potes, licet potius historici munus esse videatur in indagandis rebus quibus licet testibus bene uti, quam de iis quae desint conqueri. Jure tamen sagacissimus Lorentzius in vita Alcuini[1]) non levi conjectura ductus. nobis deesse nonnullas epistolas, quas Alcuinus de criminibus in Leonem papam fictis ad Karolum scripserit quaeque imperio restituto multum lumen dare possint, easque intercidisse putat, comes de Buenavio[2]) eodem modo iteratarum quae a Graecis ad Karolum paulo ante coronationem mittebantur legationum nec diplomata nec magis accuratam auctorum testimonia superesse dolet et tenuiora earum vestigia secutus pacto quodam inter Karolum et Graecos facto imperium esse

---

[1]) Leben Alkuins, II. p. 227. cf. etiam in hac ipsa dissert. p. 22, n. 4.

[2]) Teutsche Reichshistorie tom. II, II. p. 521 sqq.

restauratum evincere studet. Cennius, papali sectae addictus de sex primis restaurati imperii annis Leonis epistolas quae hanc rem illustrare possint, desiderari concedit[1]).

Alterum quod ejus qui historiae operam navare vult esse videatur id est, ut non solum quomodo eae res quae narrantur vere gestae sint, sed ipsam auctoris rationem et opinionem ejusque vim et indolem critica quae vocatur arte adhibita cognoscere studeat. Licet utraque ratio postea unum in locum convenire atque quum inter se congruere videantur altera alteram sustinere et firmare debeat, tamen suum utrique jus concedendum est.

Atque hoc loco quidem, ubi de restauratione imperii Romani inita subductaque ratio est, propria cujusque auctoris indoles diversarum partium factionumque opiniones et studia nobis demonstrat. Quum igitur non dubitem, quin partium studio fere omnibus caeteris minus corruptus sit Joannes diaconus ille, et secundum temporum, ut tunc fuisse videntur rationem ejus testimonium probabilissimum appareat, tamen hoc loco, ubi maxime de diversis testium generibus agere volui, ab eo minime proficiscendum esse existimavi.

Quum enim hodie id quidem inter omnes fere constare videatur, imperii vim et momentum non ex ipsa restauratione et coronatione, quomodo per Leonem III et Karolum M. anno 800 facta sit, sed ex hominum de imperio opinionibus et ex omni temporum conditione pendere, ex diversis testium generibus quae fuerint singularum partium de hac re opiniones cognoscimus. Igitur is qui annales

---

[1]) Cennius in dissert. monum. domin. pontif. inserta (de Leonis tertii epistolis p. 4. »plures Leonis epistolas desiderari negaverit nemo sq.«

et Karoli vitam scripsit Einardus, ipse ex Karoli consiliariis, et qui eum sequuntur, illam rem divino nutu, divina quadam inspiratione per Leonem papam, quasi Petri vel Christi vicarium factam esse, detrectante potius quam petente Karolo, ne jura orientalis imperii violare videretur vel ne Franci difficiliores fiant utque rei auctoritas, quum per Deum ipsum facta sit augeretur enarrant; papalis scriptor rem quasi donum Leonis papae et Romanorum civium, maxime propter Karoli de sancta sede Petri merita factam esse designat. Franci vero ipsi, qui hac imperiali principis dignitate gloriam suam valde auctam esse viderent, jure et merito, propter potentiam Karoli, qui maximam partem veteris Romani in occidente imperii Romamque ipsam teneret, eum esse coronatum seque jure illam imperii dignitatem sibi vindicare censebant. Illi igitur antea Romae in concilio de hac re actum esse referunt Dein alii Graecis, quasi in erroribus mersis, imperium demptum et ad Francos esse translatum, vel desiisse imperium apud Graecos, quum jam non imperator sed femina in solio sederet edicunt. Graecorum genus primo urbem Romam Karolo cessisse, fidelitatem erga Novae Romae imperatores esse laesam significat, diversum a Graecorum coronandi modum describit. Pseudo-Anastasius ille imperatoris nomen ex pacto cum Nicephoro facto ad Karolum translatum esse designat, Joannes denique diaconus a partium studio ut videtur magis quam caeteri alienus, sed minoris ingenii auctor, temporum quadam necessitate studiorumque Leonis et Karoli vicissitudine insigne imperatorium a Leone Francorum regi esse impositum testatur. Si jam ethnicorum gentium vel Sarracenorum scriptorum, Karolo Magno aequalium de eadem re testimonia exstarent, nova inde certe

testium genera evaderent. Hac igitur ratione, si hujus coronationis apud aequales momentum et diversorum hominum de hac re opiniones tantum quaerimus, quivis auctor secundum suam indolem et studia recensendus et suo jure habendus, nullus prorsus negligendus et omittendus esse videtur.

ΔΙ 'ΕΝΟΣ ΠΑΝΤΑ.

VITA.

Crefeldae K. Eduardus Jacobs anno MDCCCXXXIII a. d. XIII Kal. Jun. natus sum J. Henrico Ant. patre, qui maturiori mihi morte anno MDCCCXLI abreptus est, matre Margaretha e gente Kueppers, Dei gratia adhuc superstite; cujus vitam ut Deus benigne tueatur pie oro atque rogo. Eandam quam parentes profiteor fidem evangelicam.

Usque ad decimum septimum aetatis annum patriae scholis institutus gymnasium Cliviense, quod tunc Ferdinando Helmke rectore florebat adii, ejusque doctrina per quatuor annos imbutus sum. Inde maturitatis testimonium nactus Halas Saxonum me contuli, ibique ab Henrico Leo, Rectore Magnifico civibus academicis adscriptus sum. Atque quum initio quidem dubitarem, utrum theologica mihi studia an geographica et historica magis essent amplectenda, et philosophorum et theologorum in numerum receptus sum a clarissimis viris Blanc et Tholuck decanis. Non multo tamen post consilio confirmato, omnem paene operam atque industriam in geographia atque historia collocavi, ita tamen, ut theologiae et patriae linguae disciplinam non prorsus negligerem.

Per tria autem semestria Cll. Vv. Bernhardy, Blanc, Duemmler, Erdmann, Leo, Pott, Tholuck, Zacher habui magistros. Quibus omnibus quam maximas gratias et agere debeo et habere. Eodem tempore quum annua stipendia non invitus persolverem, studia, quoad ejus fieri potuit non intermisi; tamen jam tunc triennio solemni duo vel tria semestria addenda esse existimavi.

Jam intelligenti mihi earum quibus maxime deditus eram literarum Halis subsidia Berolinensibus esse posthabenda, hanc universitatem almam Fridericam Guilelmam petere visum est. Cujus civibus a V. Cl. Ehrenberg Rectore Magnifico additum Cl. V. Mauritius Haupt decanus in philosophorum me indicem retulit. Hic quum copiosus eorum quae praecipue adamavi studiorum apparatus mihi suppeditaretur, per sex semestria remanere quam aliam iterum literarum sedem petere malui. Interfui autem scholis geographicis Cll. Vv. Kiepert, F. H. Mueller, Ritter, G. Rose; historicis Hirsch, Koepke, Ranke; philologicis et philosophicis Boeckh, Haupt, Lepsius, Stahl, Trendelenburg; theologicis Nitzsch et Steinmeyer. Quorum carissimorum praeceptorum omnium memoriam pio gratoque animo retinere quam charta et nomine laudare quum quidem melius magisque conveniens habeam, tamen hac occasione data inprimis quam Vv. Cll. Hirsch, Kiepert, Karolus Ritter, summe venerandus geographicae doctrinae pater erga me praestiterint liberalitatem et comitatem ut silentio praeterirem a me impetrare non potui.

Atque ab initio quidem studii academici quum patriae linguae rebusque theologicis operam navavi, tum maxime geographiae ingeneratum mihi amorem explere studui. Tamen paulatim eo perductus sum, ut singularem in historia curam atque cogitationes figerem. Historiae ad veram interioremque rationem eruendam quum quam mihi paravi scientiam referrem omnem, non tantum in cunctis quantum mihi quidem licebat scholis, quas Cl. Ranke habebat, assiduus fui, verum etiam in consessu societatis historicae ab eodem summa cum liberalitate institutae.

Itaque quum non solum ad historiam et medii aevi et recentioris perspiciendam animus meus inflammaretur, sed etiam via ac ratione inquirendi in argumenta historica designatis, ad certum gratumque cogitationes meae et studia finem dirigerentur, quantas clarissimo praeceptori debeam gratias quantaeque memori mihi mente sint persolvendae clare elucet.

In cognoscendis igitur rerum originibus plurimum studii

esse navandum edoctus, quum et posterioris medii aevi et recentioris indolem maxime illustrari Karolorum aevo in eoque tam publici quam ecclesiastici nostri status initia et semina contineri viderem, ex hoc aevo nonnullorum commentariolorum argumenta sumpsi et quaecunque addiscebam ad intelligendam hujus maxime aevi naturam et rationem contuli. Quorum studiorum specimen haec sunt, quae de Karolorum imperio disserui, quibus me ad summos in philosophia capessendos honores accinxi.

THESES.

I. Regum germanicorum potestatem non a Romani imperii institutis esse profectam, sed ex indole moribusque ipsorum Germanorum originem duxisse.

II. Gervinus (Gesch. d. poet. Nat. Lit. d. Deutschen, praecipue p. IV pag. 436—452) inique de indole et moribus Hamanni nostri judicat.

III. Philosophandi illa genera quae optimismus et pessimismus vocantur, a narratione historica sejungenda sunt.

IV. Hor. carmm. l. III, XX v. 12 »palmae« vocabulum patrio sermone »flache Hand« significat.

V. Non inter Gallo-Romanos, ut nonnulli volunt, sed inter nostrates numerandus est Karolus M.

VI. Aristot. meteorol. l. I c. 13 (ex rec. Bekkeri min. Berol. 1829 p. 27, 5) *Παροπανίσου* pro *Παρνασσοῦ* legendum est.